DE EPISTULIS

ET A

CASSIO ET AD CASSIUM

POST CAESAREM OCCISUM DATIS

QUAESTIONES CHRONOLOGICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO EDUARDUS SCHMIDT

REICHENBACHENSIS.

LIPSIAE

TYPIS G. KREYSINGII

MDCCCLXXVII.

PATRI CARISSIMO

S.

Cum rebus Romanis illis implicatissimis, quae ex Caesaris interitu usque ad proelium Philippense fuerunt, pertractandis operam darem, in rerum gestarum tempore atque ordine constituendo fere semper mihi ad Ciceronis epistulas erat recurrendum. Quod quo saepius fiebat, eo magis dolebam de tempore, quo singulae epistulae datae atque redditae essent, itaque de illorum annorum discribendorum fundamento minime nobis constare.

Nam ea, quae Joannes de Gruber[1]) anno 1836 de tempore ac serie Ciceronis epistularum, ut Schuetzium emendaret, disseruit, magna ex parte nostrae de Ciceronis aetate scientiae non iam convenire cum eorum, qui post Gruberiani opusculi editionem res Romanas scripserint: Drumanni, Peteri, Mommseni, Langii, aliorum libri, tum Br. Nakii[2]) de nonnullis epistularum corporibus commentationes docent, quas Wesenbergium, qui nuperrime Ciceronis epistulas edidit, minime curasse valde demiror. De aliis nonnullis epistulis, quo tempore datae atque redditae sint, C. Bardtius[3]) accuratius disputavit. Attamen parva tantummodo epistularum quae ad familiares inscribuntur, pars ab his viris doctis ad temporis rationem recte disposita est; maior illarum numerus subtiliore disquisitione

1) „Quaestio de tempore atque serie epistularum Ciceronis." Sundiae 1836.

2) „Der Briefwechsel zwischen Cicero und Caelius" Fleck. Jahrb. 89, p. 60–68. „De M. Caeli Rufi epistularum libro" Symb. philol. Bonn. p. 373–384. „De Planci et Ciceronis epistulis" Berlin 1866. „Der Briefwechsel zwischen Cicero und Decimus Brutus" Fleck. Jahrb. 8 Suppl.

3) „Quaestiones Tullianae" Berolini 1866.

adhuc eget. Quamobrem, cum studiis meis ad epistulas post Caesarem occisum cum C. Cassio Longino commutatas accuratius inspiciendas adducerer, de earum tempore atque serie quidquid invenissem hoc libello componere non alienum esse putavi. —

Ac mea quidem commentatio duabus quodammodo legibus non novis, sed ad controversias quasdam diiudicandas non satis, ut opinor, adhibitis nititur, quarum altera est, ut quonam temporis spatio Ciceronianae aetatis tabellarii et epistulas et alios nuntios in singula loca perferre soliti sint, quam accuratissime curem, altera, ut, quidquid ex epistulis inter Ciceronem et M. Brutum commutatis, a multis viris doctis plane neglectis, lucrari possimus, in usum nostrum convertam. Neque enim ab eorum partibus sto, qui has epistulas tamquam subditivas a fontibus, e quibus rerum Romanarum scientia nobis manet, omnino remotas volunt, sed illos sequendos puto, qui C. Fr. Hermanno [1]) auctore eas aut universas aut maxima ex parte genuinas maximique ad rei publicae Romanae intereuntis historiam perspiciendam momenti esse sagaciter probare studuerunt. Quamobrem, etiamsi controversiam de epistularum ad M. Brutum integritate diu agitatam nondum plane diiudicatam putem, tamen hoc mihi sumam, ut secundi, qui vulgo inscribitur, libri epistulas et primi libri eas, quae ad meam commentationem aliquid valent, causis non adlatis, ex hoc illius quaestionis statu tamquam genuinas pertractem.[2]) De epistulis igitur ad M. Brutum nihil

---

1) Vindiciae latinitatis epistularum Cic. ad Brut.“ Gott. 1844 „Zur Rechtfertigung der Briefe des Cicero an Brutus“ Abhandl. der Götting. Ges. d. W. II, III, 1845—47. „Vindiciarum Brutinarum epimetrum“ Gott. 1846.

2) Praeter consilium paene illud, quod, cum primum hanc commentatiunculam conscribere coepissem, secuturus eram, omnes Ciceronis ad M. Brutum epistulas superstites extremis quinque libri primi exceptis — quarum duas, ep. 16 et 17 cum Nipperdeio spurias esse contendo — ita in hunc libellum quasi intexui, ut eas, quoad fieri posset, ad temporis rationem disponerem. Quod quoniam propterea factum est, quia epistulae illae et ad Cassii epistulas

praemonendum, sed quo quaeque loco adhibebitur, de singulis agendum erit. —

Alia ratio est tabellariorum. — Nam quamquam et Bardtius [1]) et Friedlaender [2]) quot dierum spatiis litterae nuntiique in singula loca perferri potuerint, perite statuerunt, tamen in singulis quibusdam ac, si universum spectes, minutis rebus, ad meam autem commentationem non nihil valentibus viri illi docti videntur errasse. Itaque mihi est propositum, de celeritate, qua Ciceronis aetate tabellarii itinera facere consueverint, ea, quae ad quaestionem de Cassii epistulis bene instituendam necessaria sint, praemisso quodam capite absolvere. —

---

constituendas et ad res quasdam obscuriores illustrandas multo maiori mihi, quam exspectaveram, adiumento erant, easdem ex meo arbitrio ordinatas in extremo libello in tabula componere non dubitavi. Tamen doleo, quod et propter temporis angustias et quia res tanta hoc loco rite absolvi non possit, quaestionem illam de Ciceronis ad M. Brut. epistulis inceptam ad finem perducere mihi non licuit.

1) „Quaest. Tull".

2) „Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms etc." B. II Leipzig 1874, p. 1—81.

De celeritate, qua tabellarii in Cassii epistulis perferendis usi esse videntur.

C. Cassius Longinus, a. u. c. 710 praetor, eo tempore, quo primae earum, de quibus acturus sum, epistularum scriptae sunt, in Italia aut media aut inferiore commorabatur, deinde in Syriam profectus est. —

Itaque primum videamus, quanam celeritate tabellarii terrestria in Italia itinera confecerint. —

Pomponii Attici litteras Roma in Puteolanum vel in Pompeianum, quod paullo longius ab urbe distabat, semel tertio, quater quarto, semel quinto, bis sexto, semel septimo die delatas esse Ciceronis ipsius auctoritate nobis est traditum.[1]) Quo de exemplorum numero, siquidem tempus, quo litterae in illa praedia perferri solitae sint, definire volumus, duo excipienda sunt, alterum celeritatis, tarditatis inusitatae alterum cf. ad Att. 14, 18, 1: „. . tuas litteras vesperi acceperam in Pompeiano sane celeriter, tertio abs te die“, ad Att. 14, 13, 1: „Septimo denique die litterae mihi redditae sunt“.

Ex reliquis autem exemplis, cum unum sit quinti, duo sexti, quattuor quarti diei, re vera quarto die saepissime litteras Roma in illas regiones adlatas esse intellegitur. Quamobrem, quoniam Roma a Puteolis 138 pm.[2]), a Neapoli, quae urbs inter Puteolos et Pompeios sita est, 148

---

1) Bardt: „Qu. Tull.“ p. 8, 9, 43.

2) cf. „Itinerarium Antonini Augusti et Hierosolymitanum ed. Parthey et Pinder, Berolini 1848, p. 49, 50, 56, 57.

pm [1]) — non circ. 130 pm., ut Bardtius scribit [2]) — a Pompeis circ. 160 pm.[3]) afuit, ex his ipsis exemplis concludendum erit Ciceronis aetate tabellarios in Italiam inferiorem profectos circ. quadragena quinquagenave pm. cotidie decurrere esse solitos. Quam quidem mediam, ut ita dicam, tabellariorum celeritatem non modo recte esse conclusam, sed etiam latius quam ad itinera in Italia ipsa confecta patere permultis aliis testimoniis ex Ciceronis epistulis desumptis confirmatur. —

Lupus, Ciceronis familiaris, Mutina, quae urbs via Flaminia et Aemilia progredienti 319 [4]) pm. vel 310 [5]) pm., via Clodia circ. 275 pm.[6]) a Roma distat, sexto die vesperi Romam pervenit cf. ad fam. 11, 6, 1: „Lupus noster cum Romam sexto die Mutina venisset, postridie me mane convenit".[7]) —

Iter illud paullo brevius, quod est Foro Gallorum Romam, paullo citius is tabellarius confecit, qui de pugna apud Forum Gallorum a. d. XVII Kal.[8]) Mai. commissa litteras Romam detulit. Nam, cum Hirtius litteras illas a. d. XVI. Kal. Mai. mane dedisse videatur, — pugnatum enim est a. d. XVII. Kal. Mai. usque ad vesperum[9]) — cumque, ut infra demonstrabitur,[10]) certus de Hirtii victoria nuntius a. d. XII. Kal. Mai. Romae innotuerit, tabellarius ille quinto die litteras reddidit, quae postridie, i. e. Parilibus,

---

1) l. l. p. 57.

2) „Qu. Tull." p. 8.

3) „It. Ant." p. 57 (Neapoli Pompeios iter circ. 12 pm. est, cum Neapoli Nuceriam iter 23 pm. sit).

4) It. Ant. p. 47, 59, 60.

5) It. Hieros. (Parthey et Pinder) p. 289, 290.

6) It. Ant. p. 136, 137 (Roma Florentiam iter 189 pm., Florentia Bononiam c. 60 pm., Bononia Mutinam 25 pm.)

7) De victoria Mutinensi quonam tempore nuntius Roman pervenerit cf. p. 44.

8) cf. ad fam. 10, 30, 1.

9) cf. ad fam. 10, 30, 4: „Antonius cum equitibus hora noctis quarta se in castra sua ad Mutinam recepit."

10) cf. p. 42.

in senatu recitatae sunt.[1]) Erravit hoc loco Bardtius, qui neglectis iis, quae in orat. Phil. 14, 14—16 et ep. ad M. Brut. 1, 3, 2 tradita sunt, septimo denique vel sexto die Hirtii litteras Romam adlatas esse contendit.[2])

Quid, quod etiam in remotioribus provinciis tabellarios quadragena quinquagenave pm. cotidie confecisse invenimus. —

C. Asinius Pollio ex Hispania ulteriore ad fam. 10, 33, 5: scribit: „Maxime tamen doleo adeo et longo et infesto itinere ad me veniri, ut die quadragesimo post aut ultra etiam, quam facta sunt, omnia nuntientur".

Est autem Roma Cordubam, ubi Pollio, cum epistulam daret, videtur fuisse,[3]) iter circ. 1800 pm.[4])

Britanniae ora ad meridiem spectans circ. 1400 pm.[5]) a Roma distat. Illinc duae epistulae vicesimo septimo, una vicesimo nono, una tricesimo tertio die Romam perlatae sunt,[6]) ita, ut plus minusve triginta dies ad epistulam ex Britannia Romam transferendam suffecisse videantur.

Ex Galliae transalpinae parte ea, quae Germanis finitima est, uno et vicesimo die epistulam Romam esse adlatam Cicero testatur ad Att. 14, 9, 3: „Idem Balbus meliora de Gallia. XXI. die litteras habebat Germanos illasque nationes re audita de Caesare legatos misisse ad Aurelium, qui est praepositus ab Hirtio, se quod imperatum esset, esse facturos". Cuius tamen (ad Att. 14, 9.) epistulae inter octavam eiusdem libri et decimam traditae locum eam ipsam ob causam, quia litterae illae Balbo redditae in ea commemorantur, non verum esse iudico. Nam, si

1) cf. p. 43; 45.

2) „Qu. Tull." p. 14.

3) cf. ad fam. 10, 32 extr.

4) It. Ant. p. 139, 189, 190, 193.

5) Roma a Mediolanio 416 pm. (It. Hieros. p. 290) vel 433 pm. (It. Ant. p. 57), Mediolanium a Gessoriaco, ubi traiectus erat in Britanniam, 912 pm. distabat.

6) Bardt „Qu. Tull." p. 31—33, 43.

ep. ad Att. 14, 9 re vera, ut editores[1]) putant, a. d. XV. Kal. Maias data esset, litterae illae vicesimo primo die ex Gallia septentrionali delatae non post a. d. VI. Kal. April. scriptae esse possent. Restarent igitur, cum Caesar Id. Mart. occisus sit, duodecim tantummodo dies, intra quos non modo certus de morte Caesaris nuntius in Galliam septentrionalem et in Germaniam finitimam, quae regiones brevissima via 800 vel 900 pm. ab urbe distant,[2]) pervenisset, sed etiam Germanorum legati mandata Aurelio nuntiassent, id quod, cum post Caesaris mortem in illis regionibus compertam certe complures praeteriissent dies, priusquam Germanorum reliquarumque nationum finitimarum legati Aurelium convenirent, fieri vix potuit.

Quamobrem equidem non cum Bardtio[3]) traditum illarum epistularum ordinem defenderim, sed hanc proposuerim medelam, ut nonam epistulam inter tertiam decimam et quartam decimam inseramus. Tertia decima enim ep., cum Attici litteris, quibus optatus D. Bruti in Gallia cisalpina adventus Ciceroni nuntiatus est,[4]) diu exspectatis[5]) respondeat, eodem die, quo Attici litterae illae redditae sunt, i. e. a. d. VII. Kal. Mai.[5]) scripta esse videtur. Itaque Ciceronis verba ad Att. 14, 14, 1 haec: „Ego autem casu cum dedissem ad te litteras VI. Kal." non ad tertiam decimam, ut Bardtius vult, sed ad nonam epistulam referenda esse arbitror, qua epistula suo loco inserta difficultates supra explicatae tolluntur. —

Sed iam ad alteram capitis praemissi quaestionem transeamus, qua investigetur, quonam temporis spatio

1) Hac voce brevitatis causa eos, qui Ciceronis epistulas ediderunt, significavi.

2) Roma Mediolanium iter 416 vel 438 pm. (cf. p. 6, 5), Mediolanio brevissima via per Alpes Penninas Argentoratum 350 pm., Mogontiacum 419 pm. est cf. It. Ant. p. 167—169.

3) „Qu. Tull." p. 16.

4) cf. ad Att. 14, 13, 2: „Quamvis enim tu magna et mihi iucunda scripseris de D. Bruti adventu ad suas legiones" etc.

5) Ibid. §. 1.: „Septimo denique die litterae mihi redditae sunt, quae erant a te XIII. Kal. datae."

tabellarii Ciceronis aetate in Syriam, ubi Cassius ex anno u. c. 711. ineunte fuisse videtur,[1]) pervenire sint soliti. Atque cum dierum numerus, quibus epistulae in provincias non terrestribus solum, verum etiam maritimis itineribus capessendas delatae sint, minime certis finibus circumscriptus fuisse videatur, primum consideremus, quonam temporis spatio tabellarii strenui secundo cursu in Syriam pervenire potuerint. —

Cicero ad fam. 14, 5, 1: „Pr. Idus Oct." inquit „Athenas venimus . . . De nave exeuntibus nobis Acastus cum litteris praesto fuit uno et vicesimo die, sane strenue." Laudatur igitur tabellarius, quia uno et vicesimo die Roma Athenas pervenerit, quod praeter traiectum Brundisio Aulonam iter circ. 780 pm. est.[2]) Cum loco laudato conferenda est ad fam, 15, 3, 2: . . . „existimabam M. Bibulum procos., qui circiter Idus Sextiles ab Epheso in Syriam navibus profectus erat, quod secundos ventos habuisset, iam in provinciam suam pervenisse", quibus e verbis, cum ep. ad fam. 15, 3 a. d. III. Kal. Septembres data sit,[3]) Epheso in Syriam secundis ventis circ. quindecim dierum spatio Ciceronis aetate navigari potuisse concludimus.

Quamobrem tempus, quo tabellarius strenuus Roma in Syriam pervenire potuerit, inveniemus, si viginti diebus et uni, quibus Acastus Roma Athenas profectus est, et quindecim diebus, quibus aliquis ventis secundis Epheso in Syriam pervehi potuit, tres illos vel quattuor dies adnumeraverimus, quibus ut Athenis Ephesum traicerent opus erat.[4]) Videntur igitur, si neque ventis adversis

---

1) cf. Drumann, „Geschichte Roms etc." B. II p. 125—129. L. Lange „Römische Alterthümer" B. III p. 528—529.

2) Roma Capuam iter 124 pm. esse tradit It. Ant. p. 59, 50; rectius It. Hieros. 136 pm. p. 288. — Capua Brundisium iter 234 pm. cf. It. Ant. p. 51—55. Itaque Roma Brundisium iter 370 pm.; It. Hieros. iter 364 pm. fuisse tradit, Strabon VI, 5: 360 pm. Quaenam harum trium computationum accuratissima sit, difficile diiudicatur. — Aulona Athenas iter 411 pm. erat cf. It. Ant. p. 154.

3) I. v. Gruber: „Quaestio de temp. etc." p. 11, 212 ep.

4) Athenae ab Epheso circ. 2000 stad. distant.

navigatio impediebatur, neque tarditate, neque aliis obstaculis mora adferebatur, ad totum iter Roma in Syriam conficiendum circ. quadraginta dies suffecisse. — Attamen hac celeritate ratiocinando magis inventa quam facto probata Ciceronis aetate tabellarii Roma vel in Syriam vel in Ciliciam profecti fere nunquam usi sunt: neque enim ulla earum epistularum, quae quando in illas provincias adlatae sint, scimus, tam cito perlata est.[1])

Ciceronem autem invenimus tabellarium laudantem, qui Roma in Ciliciam, Cybistra ad Taurum sita, quadragesimo septimo die litteras detulerat cf. ad Att. 5, 19, 1: „. . . subito Appii tabellarius a. d. XI. Kal. Octobr. septimo quadragesimo die Roma celeriter — hui tam longe — mihi tuas litteras reddidit.“ Cum vero Syriae partes eae, in quibus Cassius castra habebat,[2]) non paullo longius ab urbe distent quam Cybistra, ex Ciceronis quidem sententia litterae circ. quinquagesimo die Roma Cassio redditae celeriter delatae erunt. Est igitur nobis constituendum epistulam a tabellariis celeriter profectis circ. qninquagesimo Roma, a lentius progressis posteriore quodam die reddi potuisse.

Ac praeclare quidem haec ratiocinatio eo confirmatur, quod Cicero re vera Cassii epistulam Non. Mai. in Syria datam ineunte mense Quintili[3]) Romae acceptam refert ad fam. 12, 10, 2: „. . litteris tuis, quas Nonis Maiis ex castris datas acceperamus, ita persuasum erat civitati, ut etc.“

Hac in sententia de tempore, quo tabellarii litteras in Syriam pertulerint, adumbrata fortasse acquiescere possimus; at dixerit quispiam summam illam celeritatem, qua posterioribus saeculis tabellarii publici[4]) itinera con-

---

1) cf. Bardt, „Qu. Tull.“ p. 43.

2) Non. Mart. a. u. c. 711. Cassius ex castris Taricheis epistulam ad fam. 12, 11 dedit; postea Laodiceam profectus est, cf. ad fam. 12, 15, 7.

3) cf. p. 52—53.

4) cf. Hudemann „Geschichte des römischen Postwesens während der Kaiserzeit.“

fecerunt, iniuria etiam ad Ciceronis aetatem referens nos nimis argutos ex paucissimis, quae protulissemus, vestigiis iusto maiorem huius aetatis tabellariis privatis tarditatem crimini dedisse. Hanc ob rem alia nonnulla exempla ad sententiam meam illustrandam proferam. — Eadem fere celeritate, quam nos tamquam legitimam tabellariorum Ciceronis aetate Roma in Syriam proficiscentium statuimus, tabellarius ille, qui Cornificii litteras ex Africa vicesimo altero die Romam detulit,[1]) usus est et ille, qui Attici litteras a. d. XIII. Kal. Sext. Romae datas paullo ante a. d. XI. Kal. Oct. Cybistris Ciceroni reddidit.[2]) Lentius videntur esse progressi, qui Appii epistulas duas, quarum altera Nonis April., altera postea Romae data erat, circ. medio mense Junio,[3]) i. e. circ. septuagesimo die in castra ad fluvium Pyramum pertulerunt cf. ad fam. 3, 11, 1: „Cum essem in castris ad fluvium Pyramum redditae mihi sunt uno tempore a te epistulae duae, quas ad me Q. Servilius Tarso miserat. Earum in altera dies erat adscripta Nonarum Aprilium, in altera, quae mihi recentior videbatur, dies non erat“.[4])

Non citius profecti sunt ii, qui Attici epistulam pridie Kal. Januarias datam a. d. V. Terminalia, i. e. circ. quinquagesimo die Ciceroni Laodiceae reddiderunt.[5]) — Aut propter summam tabellariorum tarditatem aut propter alia impedimenta, quae itineribus moras attulerunt, epistula quaedam ex Syria Puteolos post centesimum diem,[6]) alia Roma Athenas quadragesimo sexto die,[7]) alia Roma vel ex Epiro Laodiceam quinto tandem mense[8]) perlata est. —

---

1) cf. Bardt „Qu. Tull.“ p. 22. p. 43.
2) cf. Bardt „Qu. Tull.“ p. 24, 25. p. 43.
3) cf. Gruber „Quaestio de temp. etc.“ p. 14, ep. 268 sequ.
4) Hunc locum Bardtius in com. sua neglexit.
5) cf. Bardt „Qu. Tull.“ p. 29, 30.
6) cf. ad Att. 14, 9, 3 et p. 6—7.
7) cf. Bardt „Qu. Tull.“ p. 23 (ad fam. 16, 21).
8) Bardt „Qu. Tull.“ p. 30 (ad Att. 5, 21, 4).

Sed de his certe insolitae tarditatis exemplis hactenus — restat, ut, quoniam in hac commentatione epistulae inter Ciceronem et M. Brutum commutatae ad res obscuriores illustrandas quam saepissime adhibebuntur, quonam tempore litterae Roma vel Dyrrhachium vel omnino in Illyriam perferri solitae sint exponam. Ibi enim M. Brutus a. u. c. 710. exeunte castra posuit. —

Hac in re Bardtius[1]) et qui eum secutus est Friedlaender[2]) paullulum erraverunt, quippe qui falsa quadam scriptura decepti M. Bruti tabellarium epistulam 2, 3 Dyrrhachio octavo die Romam attulisse putent.[3]) Neque enim ad M. Brut. 2, 4, 1: „Datis mane a. d. VI. Id. April. Scaptio litteris, eodem die tuas accepi Kal. April. Dyrrhachio datas vesperi" scribendum est, sed: „Datis mane a. d. III. Id. April etc.", id quod ex verbis sequentibus apertissime elucet hisce: „Itaque mane prid. Id. Apr. cum a Scaptio certior factus essem non esse eos profectos, quibus pridie dederam etc." atque post alios a Wesenbergio emendatum est.

Quamobrem non octavo, sed undecimo die Dyrrhachio epistulam illam Romam perlatam esse intellegemus, qui dies ad id, quod supra demonstratum est, quadragena quinquagenave pm. Ciceronis aetate tabellarios in itinere terrestri cotidie conficere consuevisse praeclarissime quadrat. Itinere enim circ. 370 pm., quod est Roma Brundisium,[4]) octavo vel nono die percurso decimo vel undecimo Dyrrhachium perveniebant. Qua cum ratiocinatione optime congruit, quod M. Brutus Kal. April.[5]) scribit se Ciceronis litteras post nuntios de C. Antonio capto scriptas valde exspectare. Nuntius enim ille de C. Antonio capto a. d.

1) „Qu. Tull." p. 22.

2) II. p. 18.

3) Ex Bardtii sententia rectius erat dicere Pseudo-Ciceronem sibi finxisse epistulam Dyrrhachio octavo die Romam perferri potuisse.

4) cf. p. 8, 2.

5) cf. ad M. Brut. 2, 3 (Wesenberg).

XIII. Kal. April.,[1]) id quod Brutus certe suspicari potuit, Romae compertus est. Neque adversatur nostrae sententiae Ovidius, qui itinere non festinato minore quam decem dierum spatio Brundisio Romam perveniri posse dicit Epp. ex Pont. 4, 5, 5:

„Cum gelidam Thracen et opertam nubibus Haemum
Et maris Ionii transieritis aquas,
Luce minus decima dominam venietis in Urbem,
Ut festinatum non faciatis iter.“

1) cf. p. 30—31.

Ex omnibus epistulis illis, quas C. Cassius post Caesarem occisum vel dedit vel accepit, duodecim inter Ciceronem et Cassium commutatae in epistularum ad fam. libro duodecimo (ep. 1—12) nobis traditae sunt. His adnumerentur tres primae undecimi ad fam. libri epistulae, quarum una a D. Bruto ad M. Brutum et ad C. Cassium, duae a M. Bruto et a C. Cassio ad M. Antonium sunt datae. Ac nos quidem traditum epistularum ordinem sequentes primum, quonam tempore ep. illa a D. Bruto ad M. Brutum et ad C. Cassium data sit, videamus. —

Ep. ad fam. 11, 1: ***D. Brutus Bruto suo et Cassio S.***

Schuetzius[1]: „Scr. mense Aprili A. U. C. 709."

Gruber: „Brutus XI, 1 hies diebus (c. Idus April.) scripta Lanuvio cf. 686 et 89 (exemplaris Schuetziani), neque colloquium in h. ep. memoratum illud est, quod in ep. 684, nam tum Cicero nondum sciebat Brutum urbe excessisse cf. 686."

Suepfle[2]: „Scr. mense Aprili A. U. C. 709."

Baiter: „Scr. mense Aprili a. u. c. 710."

Wesenberg: „Scr. mense Aprili a. u. c. 710."

Gruberi miram sententiam eo natam, quod hanc epistulam a Marco Bruto scriptam esse falso putaret, refutatione non egere primo obtutu perspicitur. Editorum autem computatio non satis accurata esse videtur. Scripta enim est haec epistula a D. Bruto, cum plerique coniura-

1) Schuetzius et Suepfle aeram Capitolinam secuti sunt.

2) „M. Tullii Ciceronis epistulae selectae CXC." ed Suepfle, Karlsruhe 1836.

torum propter veteranorum turbaeque forensis Caesarem ulciscendum esse clamantis cotidianos tumultus una cum M. Bruto et C. Cassio urbem reliquissent, D. Brutus autem ipse, ut suo reliquorumque coniuratorum nomine cum M. Antonio pacisceretur, etiam tum Romae esset[1]) cf. §. 1: „Quo in statu simus, cognoscite: heri vesperi apud me Hirtius fuit; qua mente esset Antonius demonstravit, pessima silicet et infidelissima. Nam se neque mihi provinciam dare posse aiebat neque arbitrari tuto in urbe esse quemquam nostrum etc. §. 4. Pro Cassio et te, si quid me velitis recipere, recipiam. Postulat enim hoc Hirtius, ut faciam. Rogo vos quam primum mihi rescribatis — nam non dubito, quin his de rebus ante horam quartam Hirtius certiorem me sit facturus — quem in locum convenire possimus, quo me velitis venire rescribite“ etc.

Quamobrem terminum, ante quem epistula scripta sit, inveniemus, si quo tempore D. Brutus Roma egressus sit, investigaverimus. Ac Cicero quidem ad Att. 14, 13, 1:

„Septimo denique die litterae mihi redditae sunt, quae erant a te XIII. Kal. datae. . §. 2. Quamvis enim tu magna et mihi iucunda scripseris de D. Bruti adventu ad suas legiones, in quo spem maximam video etc.“

commemorat se epistula quadam ab Attico a. d. XIII. Kal. Mai. scripta D. Brutum in Galliam cisalpinam pervenisse certiorem esse factum. D. igitur Brutum etiamsi extremum profectionis terminum statuamus Atticumque statim post nuntium de Bruti ad legiones adventu Romae cognitum ad Ciceronem litteras dedisse fingamus, tamen duobus tantummodo vel tribus diebus post Nonas April profectum putabimus.[2])

Cum vero epistula ad fam. 11, 1, de qua agitur, complures dies ante D. Bruti profectionem propterea scripta esse debeat, quod eius auctor, cum eam daret, minime in Galliam abire constituerat, sed de legatione libera vel de praesidio, quo Romae tutus esse posset, cogitabat, (cf. §. 2:

1) Drumann I, p. 101—108, 134—135. Lange III, p. 489—494.
2) cf. p. 5—6.

„Cum in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi reliquisque nostris, ut aliqua causa proficisendi honesta quaereretur . . . Post novissimum Hirtii sermonem placitum est mihi postulare, ut liceret nobis esse Romae publico praesidio“ etc.), certe huic epistulae non seriorem adscribemus diem, si eam circ. Nonas Apriles datam esse censebimus. Sequitur autem ex hac temporis definitione M. Brutum et C. Cassium, ad quos Roma iam profectos epistula data est, non medio demum mense, ut est vulgaris sententia,[1]) sed iam ineunte Aprili Romam reliquisse. Quae argumentatio cum iis, quae proposui, satis probata esse videatur, minime illis debilitatur rationibus, quas Drumannus,[2]) vulgaris sententiae auctor, protulit. Nam Ciceronis verba ad Att. 14, 5, 2 (a. d. III. Id. Apr.) „ . , sunt εὐρίπιστα omnia: eos autem, qui orbis terrae custodiis non modo saepti, verum etiam sancti (coni. Kayser) esse debebant, tantummodo laudari atque amari, sed parietibus contineri“ non ita interpretanda sunt, quasi „parietibus contineri“ nisi de hominibus Romae commorantibus dici non possit, sed ita, ut vocibus „parietibus contineri“ nihil aliud significetur, nisi Cassium et Brutum, id quod praetores debebant, in foro esse non potuisse, qua in re, utrum in urbe ipsa, an in suburbano quodam vel in municipio finitimo parietibus se tenuerint, nullius momenti est. — Alterius loci a Drumanno landati ad Att. 14, 6, 1: (prid. Id. Apr.)

„Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum“ natura tam generalis est, ut voce „he-

1) Drumann I, 134, 135; Peter, Philologus B. VIII, p. 425. Halm, Einleitung zur 1. u. 2. Philipp. Rede §. 45.

2) Iniuria Drumannus Appianum M. Bruti et Cassii Roma profectionem proxime post Caesaris tumultuosum funus statuisse contendit (I p. 234, N. 5). Nam cum ex locis a Drumanno ipso laudatis App. II, 147, III, 35, IV, 57 recte inter se comparatis, tum ex loco a Drumanno neglecto lib. III, 2—7 apertissime elucet Appianum M. Brutum et C. Cassium multo post Caesaris funus, immo post Amatium supplicio affectum, i. e. post a. d. XVIII. Kal. Mai. (Lange III p. 493, 11) Roma egressos sibi finxisse.

roibus" quinam coniuratorum significati sint, vix diiudicari possit. Licet autem Cicero M. Brutum et C. Cassium significaverit, colloquium illud non in urbe ipsa, sed in suburbano quodam factum esse statuemus. His igitur argumentis nihil probatur. Mihi autem favet Cicero ad Att. 14, 7, 1: „Sed Brutum nostrum audio visum sub Lanuvio. Ubi tandem est futurus?" quae voces ea tantummodo condicione recte intellegi possunt, ut Cicero M. Brutum (et Cassium) iam diutius in suburbanis municipiis vagatos esse sciverit. Scripta autem est haec epistula (ad Att. 14, 4) postridie Id. April., die circ. nono post Ciceronis Roma profectionem;[1]) quamobrem equidem propterea nullo epistularum illarum ad Atticum proxime post Ciceronis Roma discessum datarum loco apertis verbis Cassii et Bruti fugam commemoratam esse contendo, quod, cum Cicero proficisceretur, illi Romam iam reliquerant.

Quae sententia mera ratiocinatione inventa mirum in modum loco quodam ex Ciceronis ad M. Brut. epistulis desumpto comprobatur, qui locus quippe quem multo post hanc computationem ipsam institutam plane praeter exspectationem reperissem, gravissimus mihi testis est me hoc loco id quod verum est vidisse. Legitur enim ad M. Brut. 1, 15, 4: „Post interitum Caesaris et vestras memorabiles Idus Martias, Brute, quid ego praetermissum a vobis quantamque impendere rei publicae tempestatem dixerim, non es oblitus. (5.) Nos tum nimis acres; vos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis; Italiae sua vobis studia profitenti remisistis. Itaque cum teneri urbem a parricidis viderem, nec te in ea nec Cassium tuto esse posse eamque armis oppressam ab Antonio, mihi quoque ipsi excedendum esse putavi.

Ep. ad fam. 11, 2: ***Brutus et Cassius praetores M. Antonio cos.***

Schuetzius: „Scr. Lanuvii Mense Maio A. U. C. 709."
Gruber: „ante Kal. Jun. ad Antonium scripta."
Baiter: „Scr. Lanuvii mense Maio a. u. c. 710."

---

1) Lange III, 510.

Wesenberg: „Scr. Lanuvii mense Maio a. u. c. 710."
Et ii, qui Ciceronis epistulas ediderunt, et Gruber accuratioribus finibus tempus, quo haec epistula data sit, circumscribere neglexerunt. Nostrum igitur erit in hanc rem inquirere. —

Epistula ad fam. 11, 2, de qua agitur, sola nobis ex epistularum earum numero [1]) tradita est, quibus M. Brutus et Cassius, praetores, Roma expulsi, ut ad Kal. Junias tuto in urbem redire possent, cum M. Antonio egerunt. Temporis autem, quo haec epistula data sit, definiendi ansam nobis praebet §. 1:

„Scribitur nobis magnam veteranorum multitudinem Romam convenisse iam et ad Kalendas Junias futuram multo maiorem", quo loco, qui veterani Romam iam venisse dicuntur, cum Antonio urbem ingressi, qui exspectantur, ab Antonio, qui singulas Italiae inferioris colonias hanc ob rem adiit,[2]) ad Kal. Junias Romae adesse iussi videntur esse. cf. orat. Phil. 2, 108: „Qui vero inde reditus Romam! Quae pertubatio totius urbis! . . . agmine quadrato cum gladiis sequuntur; scutorum lecticas portari videmus". §. 100: „quas Kalendas Junias exspectasti? An eas, ad quas te peragratis veteranorum coloniis stipatum armis retulisti?"

Praeterea epistulae ad fam. 11, 2 ipsius verba haec §. 3: „Nam illud valde leve est ac nugatorium, ea re denuntiatum esse veteranis, quod de commodo eorum mense Junio laturus esses" hanc epistulam post iter illud, quod M. Antonius in colonias susceperat, confectum datam esse docent. Quamobrem, ut terminum, ante quem nostra epistula scripta esse non possit, inveniamus, id temporis punctum nobis investigandum erit, quo Antonius ex itinere Romam redierit. —

Antonium a. d. VII. Id. Maias Misenum percurrisse atque inde celeriter in Samnium discessisse e tribus Cice-

1) Ante epistulam ad fam. 11, 2. eae M. Bruti ad M. Antonium litterae datae erant, quae ad Att. 14, 4 extr. commemorantur.

2) Drumann I, 128—130; Lange III, 499.

ronis epistulis inter se comparatis: ad Att. 14, 19; 18; 20; colligitur. Postquam in Samnio novam coloniam Casilinum deduxit, in M. Terentii Varronis fundum Casinatem advolavit, ubi non paucos dies perbacchatus est cfr. orat. Phil. 2, 103: „ab hac perturbatione religionum advolas in M. Varronis, sanctissimi atque integerrimi viri, fundum Casinatem . . . At quam multos dies in ea villa turpissime es perbacchatus!"

Casino deinde via Latina Romam rediit (cf. Phil. 2, 105, 106). Videntur inter Antonii Miseno profectionem (a. d. VII. Id. Mai.) et reditum in urbem non pauci interfuisse dies; tamen a. d. X. Kal. Junias Antonium Romae fuisse ex Ciceronis verbis elucet, quae ad Att. 15, 4, 1 leguntur: „Mihi duas a te epistulas reddidit, unam XI., alteram X. Ad recentiorem prius et pleniorem. . . Antonii consilia narras turbulenta; atque utinam potius per populum agat quam per senatum! §. 4: Cetera coram et maxime, quid nostris faciendum sit; quid etiam nobis, si Antonius militibus obsessurus est senatum etc."

Rediit igitur Antonius Romam paullo ante a. d. X. Kal. Jun., ita, ut epistulam ad fam. 11, 2 intra decem extremos mensis Mai dies datam esse veri simillimum sit, quibus diebus, utrum ad Kal. Junias Romam redirent ibique commodis suis vel in senatu vel in contione prospicerent necne, M. Brutus et C. Cassius valde deliberabant.[1])

Ep. ad fam. 11, 3: *Brutus et Cassius pr. s. d. Antonio cos.*

Hanc epistulam C. Cassius et M. Brutus pridie Non. Sextiles ad Antonium dederunt, ut in epistula extrema legimus, neque est, cur diem traditum falsum esse iudicemus. Exarata autem est a praetoribus illis Neapoli, ut videtur, cf. ad Att. 16, 3, 6: (Postridie Id. Quint) „Brutus erat in Neside etiamnunc, Neapoli Cassius" ad Att. 16, 7, 1 (a. d. XIV. Kal. Septem.) „VIII. Id. Sext. sum a Leucopetra profectus. . . Rhegini quidam, illustres homines, eo

1) cf. p. 19.

venerunt, Roma sane recentes; in iis Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset.

Ep. ad fam. 12, 1: *Cicero Cassio S.*

Schuetzius: „Scr. exeunte Maio A. U. C. 709."

Gruber: „scr. hoc mense, circa Nonas (cf. 698, 99), nam ex. mense Cassium iam urbe exisse, ex 713 scimus."

Suepfle: „Scr. exeunte Maio a. u. c. 709."

Baiter: „Scr. exeunte mense Maio a. u. c. 710."

Wesenberg: „Scr. exeunte mense Maio a. u. c. 710."

Mirum in modum Schuetzius et qui illum secuti sunt videntur errasse, cum hanc epistulam exeunte mense Maio scriptam esse censerent. Nam cum alia multa, tum illud imprimis huic terminationi obstat, quod exeunte mense Maio de ea re praecipue litterae inter Ciceronem et praetores Roma expulsos commutabantur, utrum illi ad Kalendas Junias tuto Romam redire possent ibique vel in senatu vel in foro agerent, necne. Docetur hoc compluribus litteris eodem tempore a Cicerone ad Atticum datis: ad Att. 15, 1, 5: „Quod Brutus rogat, ut ante Kalendas, ad me quoque scripsit, et fortasse faciam; sed plane, quid velit, nescio. Quid enim illi afferre consilii possum, cum ipse egeam consilio etc." (a. d. XVI. Kal. Jun.)

Ad. Att. 15, 4, 5: „Quam vellem, Bruto studium tuum navare potuisses! Ego igitur ad eum litteras . . . Ecce autem de traverso L. Caesar, ut veniam ad se rogat in Nemus, aut scribam, quo se venire velim; Bruto enim placere se a me conveniri. O rem odiosam et inexplicabilem! Puto me ergo iturum et inde Romam etc. (a. d. X. Kal. Jun.)

Ad Att. 15, 5, 1: „A Bruto tabellarius rediit; attulit et ab eo et Cassio litteras: consilium meum magno opere exquirunt, Brutus quidem, utrum de duobus etc." (exeunte Maio). Quae cum ita sint neque quidquam de iis consiliis, quae M. Brutum et Cassium exeunte mense Maio cum Cicerone communicasse constat, in epistula ad fam. 12, 1 scriptum inveniatur, Schuetzii de hac epistula sententia stare omnino non potest. Gruber autem, quamquam pro-

pius ad veritatem accedit, cum circ. Nonas Maias epistulam scriptam esse dicit, tamen singulari quadam, ut Schuetzium refellat, minimeque probanda argumentatione utitur (cf. supra): quasi vero Cassius circ. Nonas Maias etiam Romae fuerit atque Cicero, cum epistulam, de qua quaeritur, daret, illum Romae esse putaverit. An Ciceronem tam accurate atque copiose, quam hac epistula fecit, Cassium de iis, quae paullo ante epistulam scriptam Romae gesta erant,[1]) certiorem facturum fuisse verisimile est, si Cassium illarum rerum ipsum testem fuisse arbitratus esset? Accedit, quod nullum apud Ciceronem invenitur vestigium Cassium post M. Brutum qui ineunte mense Aprili Romam reliquit,[2]) ex urbe excessisse, id quod non modo Graeci scriptores Nicolaus Damascenus, Plutarchus, Appianus, Cassius Dio[3]) planis verbis negant, sed etiam loco illo epistulae ad M. Brut. 1, 15, 4 supra laudato[4]) refutatur. Quamobrem ne Grubero quidem plane adstipulari possum, sed tempus, quo haec epistula scripta sit, recte definire studenti proficiscendum esse videtur ex primae paragraphi verbis hisce: „Finem nullam facio, mihi crede, Cassi, de te et Bruto nostro, id est de tota re publica cogitandi, cuius omnis spes in vobis est et in D. Bruto; quam quidem iam habeo ipse meliorem, re publica a Dolabella meo praeclarissime gesta: manabat enim illud malum urbanum et ita conroborabatur cotidie, ut ego quidem et urbi et otio diffiderem urbano; sed ita compressa res est, ut mihi videamur omne iam ad tempus ab illo dumtaxat sordidissimo periculo tuti futuri.“

Haec Cicero laetitia elatus sine dubio paullo post, quam Dolabellae factum[5]) comperit, ut Cassium de re publica Dolabellae virtute, ut putabat, iterum servata cer-

1) cf. p. 21.
2) cf. p. 14—16.
3) Nic. Dam. 17; Plut. Cic. 42. Ant. 15. Brut. 21. Appian. 2, 147; 3, 2—7, 35; 4, 57. Cass. D. 47, 20.
4) cf. p. 16.
5) Lange III, 500. Drumann I, 130, 131.

tiorem faceret atque ad agendum inflammaret, scripsit. Purgavit autem Dolabella forum a turba illa ad aram Caesaris cotidie tumultuante aramque ipsam evertit exeunte mense Aprili, cum Cicero Kalendis Maiis ad Att. 14, 15, 2 scripserit: „O mirificum Dolabellam meum! iam enim dico meum; antea, crede mihi, subdubitabam. Magnam *ἀναθεώρησιν* res habet: de saxo, in crucem, columnam tollere, locum illum sternendum locare."

Quamobrem ep. ad fam. 12, 1 certe non multo post Kalendas Maias data est, praesertim cum in epistula ad Atticum modo laudata, quoad fieri potuit, eadem ratione atque in epistula, de qua agitur, ad Cassium sententiae progrediantur, ita, ut Dolabellae laudem uberrimam in utraque epistula eadem fere de condicione rei publicae ab Antonianis defendendae sequatur commentatio. Itaque, cum in epistula ad Att. 14, 17, 4: a. d. IV. Nonas Maias data legamus: „ad Brutum nostrum, ad Cassium, ad Dolabellam epistulas scripsi:" dubium esse omnino non postest, quin illo loco ep. ad fam. 12, 1 significata sit. Quibus de causis epistulam ad fam. 12, 1 inter Kalendas et a. d. IV. Nonas Maias exaratam esse pro certo habeo.

Ep. ad fam. 12, 2: ***Cicero Cassio S.***

Schuetzius: „Scr. Romae exeunte Septembri A. U. C. 709."

Gruber: „post XIV. Kal. Oct."

Suepfle: „Scr. Romae exeunte Septembri A. U. C. 709."

Baiter: „Scr. Romae exeunte mense Septembri a. u. c. 710."

Wesenberg: „Scr. Romae exeunte mense Septembri a. u. c. 710."

Gruber cum hanc epistulam „post XIV. Kal. Oct." scriptam esse adnotaret, sine dubio Antonii orationem a. d. XIII.[1]) Kal. Oct. in Ciceronem habitam tamquam ter-

---

1) cf. §. 1: „Caedem enim gladiator quaerit eiusque initium a. d. XIII. Kalend. Octobr. a me se facturum putavit etc."

minum, post quem haec epistula data esse deberet, definire voluit. Quae tamen Gruberi terminatio non solum propter „a. d. XIV. Kal. Oct.“ leni quodam errore pro „a. d. XIII.“ scriptum, sed etiam alia de causa non satis accurata esse videtur. Nam cum in huius epistulae paragr. prima haec legantur:

„Caedem enim gladiator quaerit eiusque initium a. d. XIII. Kal. Octobr. a me se facturum putavit; ad quem paratus venerat. . . Itaque omnibus est visus, ut ad te antea scripsi, vomere suo more, non dicere. Quare, quod scribis te confidere auctoritate et eloquentia nostra aliquid profici posse etc.“ Ciceronem post Antonii orationem contumeliosam epistulam de consulis audacia ad Cassium exarasse apparet, cui ille respondens Ciceronis eloquentia fretum meliora sese sperare scripserat. Itaque hac epistula Cicero vanam illam Cassii spem refellere veramque et senatus et rei publicae conditionem demonstrare vult (cf. §. 2 . . . nonnihil, ut in tantis malis est profectum. Intellegit enim populus Romanus tres esse consulares, qui, quia, quae de re publica bene senserint, libere locuti sunt, tuto in senatum venire non possint. Nec est praeterea quod quidquam exspectes“).

Scripta est igitur ep. ad fam. 12, 2 non solum post a. d. XIII. Kal. Oct., sed etiam post tot dies ex illo die praeteritos, quot ad Ciceronis epistulam Cassio, qui tum in Italia inferiore versabatur,[1]) reddendam eiusque responsum Romam reportandum opus erant. Quamobrem epistulam ad fam. 12, 2 non ante extremos mensis Septembris dies datam esse veri simile est; certe autem ante a. d. VI. Non.

1) Mense Sextili ineunte Brutus et Cassius Neapoli (cf. p. 38) et edictum et litteras dederunt; postea cum Brutus prope Veliam cum navibus esset, Cassius quoque, qui omnia tunc consilia cum Bruto communicabat paucisque diebus post illum Italiam reliquit, (cf. Phil. 10, 8: „Eundem (Brutum) vidi postea Veliae, cedentem Italia, ne qua oreretur belli civilis causa. . . Cassii classis paucis post diebus consequebatur“) in portu quodam inferioris Italiae naves in ancoris tenuisse videtur. Distabat autem Roma a Velia circ 210 pm., quod iter quattuor quinqueve dierum est.

Octobr. scripta est, quod de contione [1]) illo die ab Antonio habita nihil in ea legitur.

Ep. ad fam. 12, 3: ***Cicero Cassio S.***

Schuetzius: „Scr. Romae circ. Nonas Octobres A. U. C. 709."

Gruber: „post VI. Non. Oct. et ante sequentem (ad. fam. XII., 23: post VII. Idus Oct.) quia nihil de Antonii itinere."

Suepfle: „Scr. Romae circ. Nonas Octobres a. u. c. 709."

Baiter: „Scr. Romae ineunte mense Octobri a. u. c. 710."

Wesenbergius: „Scr. Romae ineunte mense Octobri a. u. c. 710."

In definiendo tempore, quo haec epistula scripta sit, viri docti paullum inter se dissentiunt; rectissime autem Gruber hanc epistulam inter a. d. VI. Nonas, quo die Antonius contionem in epistula commemoratam habuit, et a. d. VII. Idus Octobres, quo die Antonins Brundisium profectus est, [2]) inseruit. Cui prorsus adstipulor.

Ep. ad fam. 12, 4: ***Cicero Cassio S.***

Schuetzius: „Scr. Romae mense Januario A. U. C. 710."

Gruber: „Hae sex epp. Jan. aut in. Febr. scriptae (Cornif. XII, 24, D. Bruto XI, 8, Cassio XII, 4, Trebonio X, 28, Cassio XII, 5, Paeto IX, 24); in prima enim legatos ad Antonium esse profectos et exspectari legimus, quod in. statim anno factum, Phil. V, 1. VII, 1 et VIII, 1; in altera idem et Hirtium iam exisse cf. Phil. VII, 4: in tribus proximis eos redisse, Ser. Sulpicium mortuum; cf. Phil. VIII et IX quae tota de eius honoribus. Ep. 795 (Paeto IX, 24) scripta aute Favonium flantem, qui VII. Id. Febr. incepit, cf. Colum. R. R. XI, 2."

Suepfle: „Scr. Romae mense Januario A. U. C. 710."

Frey: „Der Brief ist im Februar geschrieben."

Baiter: „Scr. Romae mense Januario a. u. c. 711."

---

1) cf. Lange III, 512.

2) cf. Drumann I, 203. Lange III, 512.

Wesenberg: „Scr. Romae mense Februario a. u. c. 711."

Quaecunque de tempore, quo haec epistula data sit, Ciceronianarum epistularum editores censuerunt, valde inter se discrepant, cum alii „mense Januario", alii „mense Februario" adscripserint. In Gruberi autem ratiocinatione sex epistulas quasi uno vinculo complectentis eo imprimis offendor, quod, quonam iure hic vir doctus diem septimum ante Idus Februarias ex ep. ad fam. 9, 24 desumptum tamquam terminum, ante quem tota illarum sex epistularum series scripta sit, constituat, omnino non intellegitur. Quamobrem Gruberi computationem certo fundamento carentem mittamus atque, quid ipsi de epistulis illis statuere possimus, videamus. —

In epistulae, de qua agitur, paragr. prima haec legimus: „Nihil autem foedius Philippo et Pisone, legatis, nihil flagitiosius; qui cum essent missi, ut Antonio ex senatus sententia certas res denuntiarent, cum ille earum rerum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata rettulerunt" quibus e verbis Philippum et Pisonem, legatos ad M. Antonium Mutinam missos, tum, cum Cicero hanc epistulam scriberet, iam Romam rediisse senatuique res ab Antonio sibi mandatas denuntiasse cognoscitur. Primum igitur, quonam tempore legati illi Romam reverterint, quaeritur. —

L. Marcius Philippus et L. Calpurnius Piso una cum Ser. Sulpicio Rufo valde aegroto Nonis Januariis ad Antonium, qui D. Brutum Mutina inclusum obsidebat, profecti sunt;[1]) ac Cicero quidem eos circ. viginti diebus post redituros esse dicit Phil. 6, 16:[2]) „Malui viginti diebus post

1) Drumann I, 242—245; Lange III, 522, 523.

2) Hoc ex loco intelligitur Nakium non prorsus recte tempus, quo ep. ad fam. 11, 8 ad D. Brutum data sit, definiisse, cum in libro, qui inscribitur „Der Briefwechsel zwischen Cicero und D. Brutus" p. 11 ex verbis illius epistulae hisce: „omnia enim erant suspensa propter exspectationem legatorum, qui quid egissent, nihildum nuntiabatur." concludit: „Der 8. Brief des XI. Buches muss frühestens in den letzten Tagen des Januar, spätestens im Anfange des Februar geschrieben sein." Potuit enim Cicero verba

sententiam meam laudari ab omnibus quam a paucis hodie vituperari. Quapropter, Quirites, exspectate legatorum reditum et paucorum dierum molestiam devorate." Quos viginti dies [1]) Cicero ratiocinatus est, cum Ser. Sulpicium Rufum ante quam Antonium convenisset, moriturum, id quod re vera accidit,[2]) itaque moram itineri adlaturum esse non suspicaretur. Propterea Philippum et Pisonem, legatos illos superstites, etiamsi nullum aliud computandi temporis adiumentum nisi profectionis dies nobis traditum esset, tamen aut exeunte mense Januario aut Februario ineunte Romam rediisse paulloque post ad senatum legationem renuntiasse colligeremus. Attamen de hac re tam bene nos instructos esse contenderim, ut, dummodo locos quosdam Ciceronis recte inter se comparemus, singulos, quibus de legatorum relationibus in senatu actum sit, dies investigare possimus. — Ac primum quidem ex Phil. 8, 6: „Dilectus tota Italia decreti sublatis vacationibus; s a g a c r a s s u m e n t u r; consul se cum praesidio descensurum esse dixit." postridie eius diei, quo Cicero octavam or. Philippicam habuit, ex senatusconsulto saga sumpta esse concludimus. Deinceps ex eiusdem orationis §. 32: „Equidem, patres conscripti, quamquam hoc honore (consulari) usi togati solent esse, cum est in sagis civitas, statui tamen a

---

lla ep. ad fam. 11, 8 laudata iam vicesimo post legatorum discessum die, i. c. circ. a. d. X. Kal. Februarias scribere. —

Praeterea falsum est, quod Nakius dicit: „Als Cicero die 8. Philipp. Rede hielt, waren die Gesandten bereits wieder in Rom (VIII. §. 28), am Tage zuvor (or. VIII. §. 1) aber sagt er noch (or. VII. §. 26): „quid enim legati egerint, nondum scimus" quasi vero Cicero, cum octavam orationem Philippicam his verbis inciperet: „Confusius hesterno die est acta res, C. Pansa, quam postulabat institutum consulatus tui" pridie senatum illum fuisse, quo septimam Philippicam habuit significaverit. Voces illas „Confusius etc." potius ad senatum, quo legati Antonii mandata rettulerunt, referendas esse docet Phil. 8, 20.

1) Iter illud Roma Mutinam a legatis illis, senibus, quorum unus aegrotabat, non quinque sexve diebus, ut a tabellariis, sed maiore temporis spatio confectum esse non mirum est.

2) Drumann I, 249; Lange III, 523.

vobis ceterisque civibus in tanta atrocitate temporis tantaque perturbatione rei publicae non differe vestitu." Ciceronem, quamquam consulares sagati incedere non solerent, tamen vestitu suo periculosissimum bellum geri quasi demonstrare voluisse intellegimus. Ex tertio denique loco a Nonio Marcello „De genere vestimentorum" sub voce „sagum"[1]) tradito: „M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I.: „Pridie Nonas Februarias cum ad te litteras mane dedissem, descendi ad forum sagatus, cum reliqui consulares togati vellent descendere" Ciceronem re vera pridie Nonas Februarias sagum sumpsisse apparet. Itaque, cum pridie Nonas Februarias a populo Romano saga sumpta esse satis certum sit, octavam or. Philippicam a. d. III. Nonas Februarias habitam, a. d. IV. autem Nonas Februarias a senatu post legatos auditos tumultum atque tertio die saga sumenda decretum esse sequitur.[2]) — Quae computatio si recta est, epistulam ad fam. 12, 4 aut a. d. IV. Nonas Februarias, cum Cicero et de legatis et de senatus consulto illo dic facto vehementer indignatus esset, aut paullo post scriptam esse censeo.[3]) —

Ep. ad fam. 12, 5: *Cicero Cassio S.*

Schuetzius: „Scr. Romae mense Februario A. U. C. 710."

Gruber: cf. p. 23.

Suepfle: „Scr. Romae mense Februario A. U. C. 710."

Frey: „Der Brief ist im Februar geschrieben."

Baiter: „Scr. Romae mense Februario a. u. c. 711."

Wesenberg: „Scr. Romae mense Februario a. u. c. 711."

Hanc epistulam omnes, quorum sententias proposui, viri docti mense Februario scriptam esse censuerunt; ac

---

1) Nonius Marc. ed Gerlach et Roth p. 369, quo loco Abeken pro „ad forum togatus", quod traditum est, „ad forum sagatus" recte coniecit.

2) cf. Phil. 8, 1—10; 20—28.

3) Eodem fere die ep. ad fam. 10, 28 ad Trebonium, quam epistulae ad fam. 11, 4 simillimam esse nemo negabit, exaratam esse puto.

ne nos quidem aliam sententiam proferemus; tamen fortasse operae pretium erit fines temporis illius, quo haec epistula scripta esse debeat, paullo accuratius circumscribere. —

Ac primum quidem ep. ad fam. 12, 5 serius datam esse quam eiusdem libri quartam facillime intellegitur. Nam, cum in quartae §. 2 legatur: „De Bruto, quo propius est, eo firmiora videntur esse quae nuntiantur.“ in quintae §. 1 Cicero scribit: „Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus; res enim tantas gessit tamque inopinatas, ut eae cum per se gratae essent, tum ornatiores propter celeritatem“, ex quo efficitur hanc epistulam aut paullo ante aut paullo post orationem Philippicam decimam, quae est de Bruti rebus eius edicto Romae cognitis, exaratam esse. Praeterea flosculi quidam et in oratione et in epistula, de qua agitur, mirum in modum congruentes, quam arte, quod ad tempus attinet, ep. ad fam. 12, 5 cum Philippica oratione decima cohaereat, demonstrant, velut Phil. 10, 10: „Tria tenet oppida toto in orbe terrarum; habet inimicissimam Galliam; eos etiam, quibus confidebat, alienissimos, Transpadanos; Italia omnis infesta est; exterae nationes a prima ora Graeciae usque ad Aegyptum optimorum et fortissimorum civium imperiis et praesidiis tenentur“ quae sententiae fere iisdem verbis expressae sunt in ep. ad fam. 12, 5, 2: „Praeter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus studiosissimam rei publicae; tuos etiam clientes Transpadanos mirifice coniunctos cum causa habebamus. . . §. 1: „a prima enim ora Graeciae usque ad Aegyptum optimorum civium imperiis muniti erimus et copiis.“

Itaque, quonam tempore ep. ad fam. 12, 5 data et quonam tempore Phil. 10. habita sit, eadem fere est quaestio.

Cum vero Phil. 8. a. d. III. Nonas Februarias habita sit, inter octavam autem et decimam or. Phil. et ep. ad fam. 12, 4 (cf. supra) et nona, quae est de Ser. Sulpicii Rufi honoribus, or. Phil. inserenda sit, Phil. 10 et ep. ad fam. 12, 5 non paucis diebus post a. d. III. Non. Febr. scriptas esse arbitrari propensi essemus, nisi ex vocibus ep. 12, 5 hisce: „Hiemem credo adhuc prohibuisse, quo

minus de te certum haberemus . . . §. 2. Erat autem Claternae noster Hirtius, ad Forum Cornelium Caesar, uterque cum firimo exercitu; magnasque Romae Pansa copias ex dilectu Italiae comparat. Hiems adhuc rem geri prohibuerat" terminum, quem quarimus, non ultra veris initium i. e. circ. Idus Februarias differri posse appareret. Ver enim a Romanis una cum Favonio flante incipere putabatur,[1]) qui ventus, ut Columella tradit,[2]) a. d. VII. Idus Februarias spirare incipiebat.

Ep. ad fam. 12, 6: *Cicero Cassio S.*

Schuetzius: „Scr. Romae mense Aprili A. U. C. 710."

Gruber: „. . . scripsit ante, quam Brutus liberaretur, id quod med. Apr. factum; cf. 809 (Galba X, 30: XVI. Kal. Mai. Proelium Mutinense refertur, pridie factum.)"

Suepfle: „Scr. Romae mense Aprili A. U. C. 710."

Baiter: „Scr. Romae mense Aprili a. u. c. 711."

Wesenberg: „Scr. Romae mense Aprili (aute XVI. Kal. Maias) a. u. c. 711."

Ex iis, quae de hac et de sequentibus epistulis disputaturus sum, quantam vim Ciceronis ad M. Brutum epistulae, tam diu neglectae, non modo ad reliquas epistulas post Caesarem occisum scriptas recte ordinandas, sed etiam ad res gestas ex accurata temporum computatione disponendas habeant, luce clarius apparebit. Iam enim ad eas inter Ciceronem et Cassium epistulas pervenimus, quarum tamquam imagines ad M. Brutum epistularum libri duo nobis sunt traditi. Itaque, cum inde ab hoc commentationis nostrae loco ex consilio in praefatione demonstrato saepius ad has epistulas confugiendum sit, liceat nobis, priusquam de ep. ad fam. 12, 6 iudicium instituamus, secundi ad M. Brutum libri epistulas, quippe quae ante primi libri epistulas scriptae sint, paullo accuratius, quam vulgo traduntur, ordinare. —

1) cf. ad fam. 9, 24, 2; Horat. carm. I, 4, 1.

2) Columella „De re rust." 11, 2, 15: „VII. Idus Febr. Callisto sidus occidit; Favonii spirare incipiunt."

Ep. ad M. Brut. 2, 1 postea scripta est, quam Pansa consul, qui delectuum habendorum causa diutius quam Hirtius Romae manserat,[1]) ad D. Brutum liberandum Mutinam profectus est. Nam ex primae paragr. verbis hisce: „his enim exercitibus ducibusque, quos habemus, nullo modo poteram diffidere; neque adsentiebar maiori parti hominum; fidem enim consulum non condemnabam, quae suspecta vehementer erat. Desiderabam non nullis in rebus prudentiam et celeritatem, qua si essent usi, iam pridem rem publicam recuperassemus;" Ciceronem, cum hanc epistulam daret, utrumque consulem militantem cogitasse intellegitur. Quamobrem, ut terminum, post quem ep. ad Brut. 2, 1 data sit, investigemus, quo die Pansa Roma egressus sit, statuendum est.

Qua in quaestione diiudicanda plane fere cum Drumanno[2]) facio. Nam cum Pansa a. d. XIV. Kal. Apr. etiam Romae esset (cfr. ep. ad fam. 12, 25, 1: „Quinquatribus frequenti senatu causam tuam egi . . . Pansa tuas litteras recitavit:") ei senatui, in quo Cicero orat. Phil. tertiam et decimam habuit, non iam interfuit (cfr. Phil. 13, 16: „Caesar confecit invictum exercitum; duo fortissimi consules adsunt cum copiis etc.). Phil. 13. autem, qua Cicero Lepido, qui litteris ad senatum datis pacem cum Antonio faciendam commendaverat, adversatur,[3]) a. d. XIII. Kal. Apr., i. e. postridie eius diei, quo Pansa Cornificii litteras recitaverat, habitam esse sequitur ex ep. ad fam. 10, 6: „Quae locutus est Furnius noster de animo tuo in rem publicam, ea gratissima fuerunt senatui populoque Romano probatissima; quae autem recitatae litterae sunt in senatu, nequaquam consentire cum Furnii oratione visae sunt: pacis enim auctor eras . . . . Sed de pace litterae vel Lepidi vel tuae quam in partem acceptae sint, ex viro optimo, fratre tuo, et ex Furnio poteris cognoscere . . . . d. XIII. Kal. Apr." Pansa igitur Roma profectus est intra

1) Drumann I, 243—245, Lange III, 522.
2) Drumann I, 282.
3) Drumann I, 282—286; Lange III, 530, 531.

breve illud temporis spatium, quod inter senatum a. d. XIV. et senatum a. d. XIII. Kal. Apr. habitum interest. Haec de Pansae Roma discessu computatio quodammodo confirmatur Phil. 13. paragrapho 32: „'Apuleiana pecunia Brutum subornastis' . . . nec enim sine pecunia exercitum alere nec sine exercitu fratrem tuum (sc. M. Antonii, C. Antonium) capere potuisset" cum ep. ad M. Brut. 2, 7, 2 comparata: „Erat exspectatio reliquiarum Antonii (sc. Caii), quem equitatu legionibusque magna ex parte spoliaras. Ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuae litterae, quae recitatae in senatu sunt . . . . Quod si tuis placuisset de his litteris referi, et nisi in tempus turbulentissimum post discessum Pansae consulis incidissent, honos quoque iustus et debitus dis immortalibus decretus esset", quibus e locis M. Bruti litteras quibus C. Antonium captum esse senatui nuntiavit, post Pansae Roma profectionem, sed ante Phil. 13. habitam in senatu recitatas esse demonstratur. Quodsi M. Brutus ep. ad M. Brut. 2, 3, 1 Kalendis Aprilibus Dyrrhachio [1]) ad Ciceronem scribit: „Litteras tuas valde exspecto, quas scripsisti post nuntios nostrarum rerum" (sc. de C. Antonio capto) et tabellarii undecimo fere die iter illud Roma Dyrrhachium conficere solebant, [2]) Brutus nuntium de C. Antonio capto circ. a. d. XIII. Kal. Apr. Romam pervenisse putasse videtur. [3]) Quae Bruti computatio quam bene ad ratiocinationem de Pansae Roma discessu et Ciceronis Phil. 13. supra expositam quadret, in promptu est. Tamen, quoniam rerum illis diebus, ut Cicero recte dicit, turbulentissimis gestarum ordo paullo implicatior est, tabellam proponam, qua quo ordine singulas res evenisse mihi persuasi ad oculos demonstrem:

---

1) cf. p. 11, 12.

2) cf. ibid.

3) Cum ex iis, quae de hac re disputavi, de C. Antonio capto nuntium aut a. d. XIV. Kal. Apr. aut a. d. XIII. Kal. Apr. Romam perlatum esse constet, C. Antonius paullo post Nonas Martias captus esse videtur.

a. d. XIV. Kal. Apr., *mane:* Pansa Cornificii litteras in senatu recitat.

Pansa Mutinam proficiscitur.

M. Bruti litterae de C. Antonio capto Romam perveniunt.

a. d. XIII. Kal. Apr., *mane:* Senatus habetur:

1) M. Bruti litterae recitantur.

2) Lepidi literae recitantur.

3) Cicero dicit Phil. 13.

[1]4) Planci litterae recitantur.

vesperi: Cicero scribit ad Plancum ad fam. 10, 6.

Cicero scribit ad Lepidum ep. ad fam. 10, 27.

Iam terminus, ante quem ep. ad M. Brut. 2, 1 data sit, definiendus est, qui quidem ex ep. ad M. Brut. 2, 2 facile cognoscetur. Incipit enim haec epistula sic: „Planci animum in rem publicam egregium, legiones, auxilia, copias ex litteris eius, quarum exemplum tibi missum arbitror, perspicere potuisti" quae verba, ut ex eiusdem epistulae paragr. 3 elucet: „In Planci vero causa exarsit (sc. Servilius) incredibili dolore mecumque per biduum ita contendit et a me fractus est" ad epistulam illam, qua Plancus, postquam diu haesitavit, totum se in bello contra M. Antonium gerendo a senatus partibus staturum esse confirmavit,[2]) referenda sunt. Cum vero in ep. ad M. Brut. 2, 1 omnino nihil de Planco commemoretur, eam nonnullis diebus post[3]) Planci litteras pacis cupidas in senatu recitatas (cf. Not. [1])), sed antea, quam litterae, quibus Plancus aperte se cum senatu coniunxit, Romam delatae sunt, scriptam esse concludendum erit. Priores autem illae Planci litterae a. d. XIII. Kal. Apr.,[4]) eodem die, quem propter Pansae Roma

1) Planci litterae, quas Cicero in ep. ad fam. 10, 6 vehementer castigat et post Lepidi litteras et post Phil. 13. habitam recitatae esse videntur, quia Cicero (cf. Phil. 13, 16) Plancum quoque pacis auctorem esse nesciit, cum hanc orationem diceret.

2) Drumann I, 287, 288; Lange III, 531, 532.

3) De Pansa Mutinam profecto et de Planco pacis auctore Cicero ante ep. ad M. Brut. 2, 1 litteras nobis non traditas dedisse videtur.

4) cf. tab.

discessum tamquam terminum, post quem ep. ad Brut. 2, 1 data sit, invenimus, in senatu recitatae, posteriores maximo Ciceronis gaudio a. d. VII. Id. Apr. Romam perlatae ibique pervulgatae sunt: cf. ep. ad fam. 10, 12, 2: „Itaque cum a. d. VII. Idus Apriles mane mihi tuas litteras M. Varisidius reddidisset easque legissem, incredibili gaudio sum elatus etc.“ Quamobrem ep. ad M. Brut. 2, 1 intra spatium, quod est ab a. d. XIII. Kal. Apr. usque ad a. d. VII. Id. Apr., data esse debet, ita tamen, ut ea propter primae paragr. verba: „Cum haec scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen; tristes enim de Bruto nostro litterae nuntiique adferebantur“, quae eandem fere D. Bruti condicionem describunt atque ep. ad Brut. 2, 2, 2: „Nos exspectatio sollicitat, quae est omnis iam in extremum adducta discrimen; est enim spes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus“ propius ad alterum terminum admovenda esse videatur. —

Epistularum ad M. Brutum quae sequuntur ordo tam turbatus est, ut ne singulae quidem epistularum partes eo quo par est ordine se excipiant, sed perversis plane in locis inveniantur. Quam confusionem iam a P. Manutio bene perspectam C. Fr. Hermannus [1]) ex codicis archetypi folio in alienum locum delato natam esse ingeniose comprobavit. Cui cum in omnibus fere rebus assentiar, pauca tantummodo de epistulis illis ad M. Brut. 2, 2—6 adnotanda sunt. —

Ep. ad M. Brut. 2, 2 eandem esse, quam Cicero ep. ad M. Brut. 2, 4, 1: „Datis mane a. d. III. Id. April. Scaptio litteris etc.“ (cf. p. 11, 12) sese a. d. III. Id. Apr. scripsisse commemorat, cum iis, quae Hermannus l. a. disputavit, tum eo comprobatur, quod hanc ad M. Brutum epistulam prius datam esse, quam epistulam ad fam. 10, 12, de illorum dierum senatus consultis a. d. III. Id. Apr. ad Plancum scriptam, non veri simile est.

Ep. ad M. Brut. 2, 3 cum ep. 5 eiusdem libri ita

1) C. Fr. Hermann, Abhandl. der Göttinger Gesellschaft der Wissensch. 1847, p. 167—169.

coniungendam esse,. ut ep. 5 usque ad voces „hoc magis doleo Asiam“ priorem, ep. 3 posteriorem epistulae partem efficiat, sane in promptu est.[1]) —

Ex ep. ad M. Brut. 2, 4 et 2, 6 Hermannus Manutio auctore unam epistulam conglutinandum esse arbitratus est. Qua de re paullo aliter sentio. Nam quamquam, quod ad res in utraque tractatas attinet, et ep. 4 et ep. 6 Bruti epistulae illi ex ep. 3 et. ep. 5 conformatae respondet, tamen, ne in unam epistulam eas confundam, ep. 4 paragr. primae commoveor verbis hisce: „Itaque mane pridie Id. Apr., cum a Scaptio certior factus essem non esse eos profectos, quibus pridie dederam, et statim ire, hoc paullulum exaravi ipsa in turba matutinae salutationis“ quae ad epistulam ex ep. 4 et ep. 6 conformatam, satis longam, referri nequeunt. Itaque ep. 4 tamquam breve atque pressum responsum a Cicerone, qui Bruti ep. 3 (5 et 3) acceperat, pridie Id. Apr. mane tabellariis ad M. Brutum profecturis datam esse censeo,[2]) ep. 6 autem paullo post — certe ante senatum Id. Apr. habitum, quia Cicero, quae in illo senatu acta sunt, epistula septima Bruto nuntiavit — tamquam appendix, quo res in ep. 4 praetermissae absolverentur, exarata esse videtur.

Ep. ad M. Brut. 2, 7 alio die ac qui adscriptus est „XIII. Kalend. Maias“ datam esse, infra (p. 37—40) demonstrabitur. —

Iam ab hac digressione ampla quidem, sed, ut opinor, necessaria ad ep. ad fam. 12, 6 revertamur. —

Atque equidem hanc epistulam eodem fere tempore datam esse censeo, quo ep. ad M. Brut. 2, 1 scripta est. Nam epistulae ad fam. 12, 6 verbis hisce: „Res cum haec scribebam, erat in extremum adducta discrimen; Brutus enim Mutinae vix iam sustinebat: qui si conservatus erit,

1) cf. exemplar Wesenbergii.

2) Ep. 4 tres paragraphos complexam esse puto; cf. exempl. Wesenb. ad M. Brut. 2, 4 usque ad voces: „nihil mihi videris hoc tempore melius acturus.“

vicimus; sin — quod di omen avertant! — omnis omnium cursus est ad vos. Proinde fac animum tantum habeas tantumque adparatum, quanto opus est ad universam rem publicam recuperandam" optime respondent, quae Cicero in ep. ad M. Brut. 2, 1 sic expressit: „Cum haec scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimem; tristes enim de Bruto nostro litterae nuntiique afferebantur . . . . . maiores autem partes animi te Cassiumque respiciunt: Quamobrem ita te para, Brute, ut intellegas aut, si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem rem publicam esse faciendam, aut, si quid offensum sit, per te esse eandem recuperandam." Quid, quod ne in hac quidem epistula ad fam. 12, 6 de Planci litteris (cf. pag. 31—32) quidquam commemoratur. Quamobrem, cum ep. ad M. Brut. 2, 1 intra spatium, quod est ab a. d. XIII. Kal. Apr. usque ad a. d. VII. Id. Apr. ita inseruerimus, ut propius ad a. d. VII. Id. Apr. admoveremus, tempus, quo ep. ad fam. 12, 6 scripta sit, eisdem terminis definire non dubito.

Ep. ad. fam. 12, 7: *Cicero Cassio S.*

Schuetzius: „Scr. Romae exeunte Martio A. U. C. 710."

Gruber: „habita oratione Phil. XI, ex. Mart. aut in. Apr."

Baiter: „Scr. Romae exeunte mense Martio a. u. c. 711."

Wesenbergius: „Scr. Romae exeunte mense Martio a. u. c. 711."

De huius epistulae tempore quaestionem nullo modo a quaestione, quo tempore undecima oratio Philippica habita sit, segregandam esse cognoscitur ex epistulae exordio: „Quanto studio dignitatem tuam et in senatu et ad populum defenderim, ex tuis te malo quam ex me cognoscere, quae mea sententia in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset", quae verba Cicero eam ipsam ob causam scripsit, ut, quam bene de Cassio undecima oratione Philippica meritus esset, illi indicaret. Hac enim oratione Cicero, postquam nuntius de Trebonio Smyrnae

a Dolabella insidiose occiso Romae compertus atque Dolabella hostis declaratus est, efficere voluit, ut Cassio bellum contra Dolabellam gerendum a senatu decerneretur.[1]) Itaque viri illi docti, quorum sententias proposui, si — id quod e sequentibus apparebit — in tempore, quo ep. ad fam. 12, 7 data sit, definiendo erraverunt, falsa quadam de or. Phil. 11. opinione decepti esse videntur. Nobis igitur, quonam tempore Dolabella hostis iudicatus atque or. Phil. 11. habita sit, accuratius exquirendum est. —

Atque praeclarissimam quidem huius quaestionis diiudicandae ansam, adhuc, quod ego video, plane neglectam, epistula illa M. Antonii ad Hirtium consulem et ad Octavianum data praebet, quam Cicero ad verbum orationi Philippicae tertiae decimae intexuit.[2]) Scripta est haec epistula ab Antonio, postquam Dolabellam a senatu hostem iudicatum esse cognovit (cf. Phil. 13, 23: „videamus quid moleste feras: 'H o s t e m i u d i c a t u m h o c t e m p o r e D o l a b e l l a m eo, quod sicarium occiderit, et videri cariorem populo Romano filium scurrae, quam C. Caesarem, patriae parentem, ingemiscendum est'.") Cum vero nuntius de Dolabella hoste iudicato ad M. Antonium Mutinam obsidentem, Antonii litterae ad Hirtium et Octavianum, ab Hirtio ad Ciceronem non minore quam duodecim dierum spatio [3]) perferri potuerint et cum or Phil. 13., ut supra demonstavimus,[4]) a. d. XIII. Kal. Apr. habita sit, Dolabellam non post Nonas Martias hostem iudicatum esse contendo. Orationem autem Philippicam undecimam Cicero postridie eius diei, quo Dolabella hostis declaratus est, dixit (cf. Phil. 11, 16: „Quam ob rem, quoniam Dolabella h e s t e r n o d i e h o s t e d e c r e t o bellum gerundum est, imperator est diligendus.") Itaque ex hac quidem ratiocinatione epistulam ad fam. 12, 7 non multo post Nonas Martias scriptam esse sequitur. Eandem ad terminationem alia

1) Drumann I, 268—275. Lange III, 528, 529.
2) cf. Phil. 13, 22—46·
3) cf. p. 5—6.
4) cf. p. 29.

computatione perducimur. Epistulam enim ad fam. 12, 12, qua Cassius ad Ciceronis epistulam ad fam. 12, 7, de qua quaeritur, respondet,[1]) Nonis Maiis ex castris datam esse ex die adscripto intellegimus. Quoniam autem tabellarii ad Cassium Syriam tenentem profecti plus quinquaginta dies[2]) in itinere erant et ep. ad fam. 12, 7 paullo ante Nonas Maias Cassio reddita esse videtur, numquid aliud, nisi epistulam ad fam. 12, 7 serius quam paucis diebus post Nonas Martias scriptam non esse concludemus?

Hoc ipso argumento Schuetzius, Gruber, Baiter, Wesenbergius, qui viri docti epistulam ad fam. 12, 7 aut exeunte mense Martio aut ineunte Aprili datam esse putant, refelluntur, cum litterae Roma ad Cassium in Syria commorantem circ. triginta septem diebus neque perlatae neque perferri potuisse videantur.[3]) Itaque ex iis quas protuli rationibus epistulam ad fam. 12, 7 non multo post Nonas Martias datam esse constat; quaeritur autem, possitne data esse antea. Quod quidem non verisimile est. Cassius enim, cum Nonis Martiis ex castris Taricheis ad Ciceronem scriberet,[4]) quamquam Smyrna propius a Taricheis quam ab urbe aberat, tamen de morte Trebonii nondum certior factus erat. Hanc ob rem fortasse ne Romae quidem Nonis Martiis Trebonii mortem cognitam fuisse statueremus, nisi M. Antonii epistula a. d. XIII. Kal. Apr. in senatu recitata in sententia proposita perseverare cogeremur. —

Denique, ne ante Nonas Martias orationem Philippicam undecimam habitam et epistulam ad fam. 12, 7 datam esse putemus, epistulae ad M. Brut. 2, 3 verbis hisce monemur: „Litteras tuas valde exspecto, quas scripsisti post nuntios nostrarum rerum et de morte Trebonii“; e quibus duae res elucere videntur, primum, nuntium de morte Tre-

1) cf. paragr. 1 ep. ad fam. 12, 12 . . . „legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi etc.“

2) cf. p. 8—9.

3) cf. p. 9 10.

4) ep. ad fam. 12, 11.

bonii et illum de C. Antonio capto non nimis longo intervallo Romam pervenisse, deinde M. Brutum Kal. Apr.[1]) Ciceronis litteras de morte Trebonii nondum habuisse. —

Comprehensum autem C. Antonium esse fama aut a. d. XIV. aut a. d. XIII. Kal. Apr. Romae audita est,[2]) quamobrem nuntium de Trebonio occiso ante Nonas Martias Romae compertum statuere sane non propensi sumus. Quod vero M. Bruto Ciceronis de Dolabella hoste iudicato atque de oratione Philippica undecima litterae Kal. Apr. nondum redditae erant, Ciceronem summis laboribus occupatum, praesertim cum Phil. 11. optatum eventum non habuerit,[3]) illis diebus re vera in litteris cum M. Bruto commutandis paullo remissiorem fuisse putandum erit.

Iam sequitur in tradito epistularum ad Cassium ordine duodecimi ad fam. libri epistula octava, quam compluribus mensibus post sextam[4]) datam esse ex commemorata Lepidi ad M. Antonium transitione cognoscitur. Neque vero Ciceronem de rebus maximi momenti mensibus Aprili et Maio in occidente gestis ad Cassium, cuius ipse commodis studiose consulebat, nihil scripsisse veri simile est, sed tota epistularum inter sextam et octavam datarum series deperdita esse videtur. Attamen, ut iam supra ex epistulis ad M. Brutum nonnulla lucrari poteramus, sic etiam de rebus hoc tempore gestis Ciceronis epistulae cum M. Brnto commutatae deperditarum illarum partes quodammodo explent. Quamobrem, quaecunque ad sequentes Cassii epistulas bene disponendas adumbranda esse videntur, ex epistulis ad M. Brut. haurire conabimur.

Atque huc quidem pertinent primi, ut vulgo inscribitur, libri pleraeque epistulae, de quibus nunc brevi agam. —

Ep. ad M. Brut. 1, 1, qua L. Clodius, tribunus plebis designatus, M. Bruto commendatur, nihil continet, quod nos

1) De ep. ad M. Brut. 2, 3 cf. p. 32—33.
2) cf. p. 29—31.
3) Drumann I, 268—275. Lange III, 529.
4) Ep. ad fam. 12, 6 post ep. ad fam. 12, 7 scripta est.

in tempore, quo scripta sit, definiendo adiuvet. Attamen ex sequente epistula fortasse terminationem depromere licet. Sequenti enim epistulae ad M. Brut. 1, 2 „XII. K. Maias" adscriptum est, qui dies cum rebus in epistula illa tractatis tam male congruit, ut ne coniecturis quidem corrigi possit. Nam ex verbis: „Et tuum consilium vehementer laudo, quod non prius exercitum Apollonia Dyrrhachioque movisti, quam de Antonii fuga audisti, Bruti eruptione, populi Romani victoria." hanc epistulam post Mutinensem victoriam Romae cognitam [1]) et ex verbis: „De Dolabella, ut scribis, si quid habes novi, facies me certiorem, in quo delector me ante providisse, ut tuum iudicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi." eam post eiusdem libri epistulam 5.[2]) datam esse colligitur. Quamobrem Hermannus [3]) sane probabiliter statuit diem illum: „XII. K. Maias" a Cicerone non secundae, sed primae huius libri epistulae adscriptum a librario, qui epistulam 2. propter verba: „Scripta et obsignata iam epistula litterae mihi redditae sunt a te . . etc." appendicem primae esse putaverit, ad secundam epistulam extrem. transscriptum esse. Quam Hermanni emendationem quamquam non omnino perfectam atque absolutam iudicaverim, quoniam ex epistula ad M. Brut. 1, 1 ipsa nullum argumentum afferi potest, tamen propter a recipiendam esse puto, quod, quomodo illud „a. d. XII. K. Maias" in epistula 1, 2 extr. natum sit, aliter atque Hermannus demonstrare omnino nequeo. Itaque epistulam ad M. Brut. 1, 1 a. d. XII. K. Maias, postridie eius diei, quo ep. 2, 7 ex tradita scriptura „XIII. Kalend. Maias" data sit, scriptam esse constituamus. —

Attamen — etiamnunc uterque dies correctione eget. Legitur enim in ep. ad M. Brut. 1, 3, 2: „Triduo vero aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam timore quodam perculsa civitas tota ad te se cum coniugibus et liberis

---

1) a. d. VI. Non. Maias cf. p. 44.

2) cf. p. 46.

3) Hermann: „Zur Rechtfertigung etc." Abh. d. Gött. G. d. W. III, 174, 175.

effundebat; eadem recreata a. d. XII. Kal. Maias te huc venire quam se ad te ire malebat, quo quidem die magnorum meorum laborum multarumque vigiliarum fructum cepi maximum etc." quocum loco si contuleris Phil. 14, 15: „Cum, ut scitis, hoc triduo vel quatriduo tristis a Mutina fama manaret, inflati laetitia atque insolentia impii cives unum se in locum . . . congregabant. Ibi cum consilia inirent de caede nostra . . . ex quo caedes esset vestrum omnium consecuta . . . . Itaque P. Apuleius, tribunus plebis . . . contionem habuit maximam . ., in qua cum me pro summa nostra coniunctione et familiaritate liberare suspicione fascium vellet, una voce cuncta contio declaravit nihil esse a me umquam de re publica nisi optime cogitatum. Post hanc habitam contionem duabus tribusve horis optatissimi nuntii et litterae venerunt." non iisdem diebus, a. d. XIII. et XII. Kal. Maias, quibus Ciceronem turbulentissimis Antonianorum agitationibus paene oppressum esse scimus,[1]) litteras illas quietissimas ab ipso ad M. Brut. 2, 7 et 1, 1 datas esse posse intelleges Quamobrem dies illos traditos

„XIII. Kal. Maias"
„XII. K. Maias"

numeri II notis cum simillimis numeri V commutatis ita corrigendos arbitror, ut

epistulam ad M. Brut. 2, 7 a. d. XVI. Kal. Maias,
epistulam ad M. Brut. 1, 1 a. d. XV. Kal. Maias

datam esse contendam. Quae emendatio flagitetne omnino scripturae illius, quam aute haec complura saecula veteribus libris manuscriptis traditam habebamus, mutationem, adhuc ambigo. Nam cum et codex a Petrarca descriptus et codices a Cratandro et a Lambino adhibiti, qui nunc omnes amissi sunt, minutis litteris exarati fuerint, deinde, cum, ubicunque in epistulis ad M. Brut. dies adscripti corrupti sunt, numerorum V et II notis inter se commutatis menda sanari posse videantur,[2]) equidem in codicibus

1) Lange III, 534.
2) Loci, quibus scriptura vulgata hac ratione emendanda est,

commemoratis numeros illos II et V ita pictos fuisse putaverim, ut et a Petrarca et ab ipso Cratandro et Lambino saepius confundi potuerint. Hanc non vagam esse suspicionem, sed certo niti fundamento uno exemplo demonstrabo. Nam in epistula ad M. Brut. 1, 6 extr. vulgo legitur:

„XVII. K. Junias ex castris, ad imam Candaviam“ quem diem cum gravissimis de causis infra explicandis (cf. p. 46—47) in „XIIII. K. Junias“ mutandum esse coniecissem, postea Orelliani exemplaris adnotatione inspecta hoc loco illum diem „XIIII. K. Junias“ recte in codice Mediceo esse traditum intellexi.

Qua ex re concludendum est aut Petrarcam hoc loco accuratius quam Cratandrum et Lambinum librum, quem descripsit, excussisse, aut — in Medicei codicis archetypo hoc loco rectiorem quam ceteris locis infra compositis scripturam servatam fuisse. Utra conclusio praeferenda sit, equidem diiudicare non audeo. Attamen illud mihi certum esse videtur, ubicunque in epistulis ad M. Brut. numerorum V et II commutatio argumentis satis gravibus postuletur, ibi optimo iure illam emendationem in contextum recipi posse. —

Epistulam ad M. Brut. 1, 2, a qua diem adscriptum „XII. K. Maias“ abiudicandum esse modo probavimus, equidem deperditae Ciceronis epistulae appendicem esse arbitror, qua auctor ad M. Bruti epistulam quandam mense Maio ineunte scriptam responderit. Data autem est ep. 1, 2 paullo ante Idus Maias. Quod, quo iure mihi persuaserim, cum nisi longissima argumentatione comprobare non possim, hoc loco non sum demonstraturus, praesertim cum ii, qui huiuscemodi studiis operam navarunt, me aliter

---

hi sunt: ep. ad M. Brut. 2, 4: „Datis man. a. d. VI. Id. April.“ = „Datis man. a. d. III. Id. Apr. cf. p 11.
ep. ad M. Brut. 2, 7. „XIII. Kalend. Maias“ = XVI. Kalend. Maias
ep. „ „ „ 1, 1: „XII. K. Maias“ = XV. K. Maias.
ep. „ „ „ 1, 6: „XVII. K. Junias“ = XIIII. K. Junias cf. p. 46—47.
cfr. ep. ad fam. 10, 14: „d. III. Non. Mai.“ = VI. Non. Mai. cf. p. 44.

secundae epistulae tempus circumscribere non potuisse ex sequentibus intellecturi sint. —

De epistula ad M. Brut. 1, 3 quaestio difficillima est, quam nisi sententia nostra de tempore, quo proelium Mutinense commissum atque D. Brutus liberatus sit, praemissa diiudicare non possumus. Atque — ne longus sim — equidem duabus maxime epistulis ad fam. 11, 9 et ad fam. 11, 13 inter se comparatis commoveor, ut Drumannum,[1]) Peterum,[2]) Nakium,[3]) alios, qui pugnam Mutinensem a. d. V. Kal. Maias factam esse opinantur, sequendos putem. —

Iam videamus, quid de epistula ad M. Brut. 1, 3, quae iis viris doctis, qui totum harum epistularum corpus tamquam spurium contemnunt, plurimam suspicionis materiam praebuit, statuendum sit. —

Ex paragr. 4: „Consules duos, bonos quidem, sed dumtaxat bonos, amisimus. Hirtius quidem in ipsa victoria occidit, cum paucis diebus magno proelio ante vicisset"; necessario hanc epistulam scriptam esse post victoriam Mutinensem atque consulum mortem Romae cognitam colligitur. Cum vero proelium Mutinense a. d. V. K. Maias commissum sit, quomodo cum hoc die dies ille „X. K. Maias", qui epistulae 1, 3 adscriptus est, congruit? Langius, qui vir doctus victoriam Mutinensem priore quodam die, circ. XI. K. Maias, reportatam esse arbitratur,[4]) diem epistulae adscriptum „X. K. Maias" corruptum esse censet neque tamen quomodo corrigendus sit indicavit. Ac ne proferri quidem potest nostra sententia probabilis correctio, quoniam aliae gravissimae in hac epistula insunt difficultates. Nam, estne verisimile Ciceronem M. Antonio plane fugato, D. Bruto a periculiosissima obsidione liberato epistolam ad M. Brutum his vocibus satis frigidis incepisse: „Nostrae res meliore loco videbantur"? Sequitur altera

---

1) Drumann I, 309.
2) Peter, „Zeittafeln der römisch. Geschichte" p. 86.
3) Nake, „De Planci et Ciceronis epp." p. 12, Anm.
4) Lange III, 534, 1.

paragrapho rerum urbanarum, quales ante pugnam apud Forum Gallorum Romae compertam et post fuerint, descriptio [1]) (cf. Phil. 14, 13, qui locus in p. 39. exscriptus invenitur). Deinde, tertia paragrapho, Cicero ad M. Bruti res transgreditur, quem, cum M. Antonius hostis sit iudicatus,[1]) trium autem fratrum Antoniorum una eademque causa sit, ne clementius cum C. Antonio agat, commonefacit. Atque in medio hoc sententiarum conexu, cum in antecedentibus victoriae Mutinensis ne levissima quidem significatio contineatur, praeter omnem exspectationem nuntius de Mutinensi proelio invenitur hic §. 4: „Consules duos, bonos quidem, sed dumtaxat bonos, amisimus. Hirtius quidem in ipsa victoria occidit, cum paucis diebus magno proelio ante vicisset; nam Pansa fugerat vulneribus acceptis, quae ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur et Caesar.“, quae verba ad brevissimarum litterarum modum composita quomodo in argumentationem illam de C. Antonio severius tractando quadrent, omnino non intellegitur. — Controversiam hoc loco ortam ut recte dissolvere possimus, illud animo considerandum esse arbitror: Si nuntius ille de proelio Mutinensi hoc loco non interpositus sit, non modo sententiae optime progrediantur sic: „Ego sic sentio, trium fratrum unam et eandem esse causam. Hostes autem omnes iudicati, qui M. Antonii sectam secuti sunt; itaque id senatus consultum plerique interpretantur etiam ad tuos sive captivos sive dediticios pertinere.“, sed etiam dies huic epistulae adscriptus: „X. K. Maias“, quem corrigere non poteramus, non iam corruptus, sed rectissimus videtur esse, quoniam de pugna apud Forum Gallorum commissa nuntius a. d. XII. K. Maias Romam pervenit,[2]) M. Antonius autem, id quod post

1) Cur Cicero ut in hac epistula pugnam apud Forum Gallorum commissam et M. Antonium hostem iudicatum esse, sic etiam in aliis epistulis res gestas non narret, sed tantummodo illustret, facillime cognoscitur. Acta enim senatus et M. Bruto et reliquis reî publicae imperatoribus mitti sciebat cf. ad M. Brut. 2, 1, 3; 2, 1. ad fam. 10, 7, 1; 11, 25, 1; 12, 9, 1.

2) cf. §. 2; Lange III, 534.

Drumannum[1]) Nakius[2]) probavit, a. d. XI. K. Maias, quo die Cicero orationem Philippicam quartam decimam habuit,[3]) hostis est iudicatus.

Sin autem verba, de quibus quaeritur, a loco, quo nunc leguntur, non removeamus, sane Nakio[4]) concedendum sit, quod dicit: „Der Pseudo-Ciceronische Brief ad Brutum 1, 3 sagt richtig, XII. Kal. Maias sei die Nachricht von der Schlacht in Rom angekommen (ein Datum, das uns sonst nirgends direct überliefert ist), während im Folgenden die Kämpfe bei Forum Gallorum und Mutina zusammengeworfen werden." Quae cum ita sint, equidem censeo verba illa: „Consules duos — et Caesar" aut tamquam integram epistulam aut tamquam epistulae fragmentum ex tertia primi ad M. Brut. libri epistula esse eximenda. Hanc medelam non audaciorem esse, unusquisque concedet, qui quam male Ciceronis ad M. Brut. epistulae nobis traditae sint, et quasnam artis criticae rationes viri docti in aliis epistularum corporibus emendandis inierint, animo consideraverit. Quonam autem tempore epistula illa restituta, cui notam „3 b" impono, data sit, facillime investigatur. Nam quin ea inter epistulam tertiam, quae est de pugna apud Forum Gallorum et de M. Antonio hoste iudicato, et eiusdem libri quintam, in qua Cicero de victoria Mutinensi tamquam Bruto iam nota verba facit, (cf. §. 4, 2) i. e. inter a. d. X. Kal. et a. d. III. Non. Maias scripta sit, dubium esse non potest. Cum vero Ciceroni epistulam 3 b scribenti etiam de Pansae consulis, qui postridie eius diei, quo proelium Mutinense factum est, a. d. IV. Kal. Maias Bononiae e vulneribus periit,[5]) interitu constitisse videatur, hanc epistulam circ. a. d. V. Non. Maias datam esse arbitror.[6])

---

1) Drumann I, 306.

2) Nake, „Der Briefw. zw. Cicero u. D. Brut." p. 27–33.

3) Lange III, 535.

4) Nake in l. c. p. 33**.

5) Drumann I, 311; Lange III, 534.

6) Bononia Romam est iter 250 pm., itaque nuntius de Pansa mortuo aut a. d. VI. Non. Maias vesperi, aut a. d. V. Non. Maias Romam pervenit; cf. p. 5, 6.

Sed — sive hic dies recte inventus est, sive sequens meliore iure epistulae 3b adscribitur — illud luce clarius apparere videtur et 3b et 5 post epistulam ad fam. 10, 14 ad Plancum datam scriptam esse. Hanc enim Cicero cum neque de Antonio fugato (ad. fam. 10, 14, 1: „Fugisse enim ex proelio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces;") neque de consulum, quos omnino non commemorat, interitu certi quidquam Romae notum esset, statim post primos de Mutinensi proelio rumores Romam perlatos ad Plancum dedit. Quae cum ita sint, dies huic epistulae in codice Mediceo adscriptus: „d. III. Non. Mai." qui viros doctos multum vexavit,[1]) sine dubio corruptus est. Qui enim fieri potuisset, ut, cum Lupus sexto die Mutina,[2]) certi de pugna apud Forum Gallorum nuntii sexto die Romam pervenissent,[3]) ii tabellarii, qui de victoria Mutinensi litteras deferrent, nono die Romae nondum adessent? Itaque, cum ex iis, quae supra de tabellarium celeritate disputavimus, iam a. d. VI. Non. Mai. victoriam Mutinensem summatim, a. d. V. Nonas Mai. etiam consulum mortem Romae compertam esse sequatur, in epistula ad fam. 10, 14 pro; „d. III. Non. Mai." lenissima commutatione „d. VI. Non. Mai." scribendum esse pro certo habeo. —

Qua coniectura probata duae Nakii computationes, quarum altera M. Antonium iam post pugnam apud Forum Gallorum Romae cognitam hostem iudicatum,[4]) altera epistulam ad fam. 10, 21b a. d. XIV. Kal. Jun. datam esse[5]) comprobare vult, quippe quae nimis fidenter ex die illo epistulae ad fam. 10, 14 iniuria adscripto deductae sint, concidunt. Nam — ut priorem Nakii ratiocinationem refellam — si eodem die, quo nuntius de victoria Mutinensi Romam pervenit, a. d. VI. Non. Mai., M. Antonius

1) cf. Nake „De Planci et Ciceronis ep." p. 12, Not. 1.
2) cf. p. 5.
3) ibid.
4) Nake „Der Briefwechsel zw. Cic. u. D. Brut." p. 32.
5) Nake „De Planci et Ciceronis ep." p. 14, 15.

hostis iudicatus esset, re vera Plancus a. d. X. Kal. Junias (ad. fam. 10, 21) ad Ciceronem de Lepidi militibus propter Antonium hostem iudicatum tumultuatis scribere potuit.[1]) Quare Nakii argumentatione nihil efficitur. Attamen ex epistula ad M. Brut. 1, 3 a nobis recte constituta M. Antonium a. d. XI. K. Maias, quo die Cicero in oratione Philippica 14. denuo id a senatu flagitavit, hostem esse iudicatnm (cf. §. 3.) necessario colligitur. —

Multo etiam magis in promptu est alteram, quam attuli, Nakii computationem esse falsam, in qua id me maxime offendit, quod Nakius, ut epistulam ad fam. 21 b. a. d. XIV. Kal. Jun. datam esse demonstret, Plancum quinto die de M. Antonii in Gallia[2]) adventu nondum certiorem factum esse statuere cogitur. Ex nostra sententia tabellarius ille, per quem Cicero Planci fratrem, praetorem urbanum, ut, cum consules mortui essent, Romam veniret, cohortatus est, statim post nuntium de consulibus interfectis Romae compertum, a. d. V. Non. Mai. Roma profectus Planci castra circ. a. d. XVI. K. Jun. attigit, ita ut Plancus aut eodem aut sequente die mane rescribere posset, quo tempore eum Antonii adventum nondum cognovisse non mirum est. Itaque ep. ad fam. 10, 21 b circ. a. d. XVI. Kal. Jun. scripta esse videtur.

Ep. ad M. Brut. 1, 4 a M. Bruto Idibus Maiis ex castris data et ad eiusdem libri epistulam 3 et ad 3 b respondet, quarum epistularum Brutus alteram circ a. d. VI. Non., alteram pridie Id. Mai. accepisse videtur. Quodsi quis miretur Brutum non confestim post epistulam 3 acceptam rescripsisse, statuendum erit eum cum actis publicis, tum epistulis privatis de certamine supremo proxime immi-

1) Lepidus erat tum Fori Voconii (cfr. ep. ad fam. 10, 17, 1), qui locus a Roma circ. 640 pm. aberat cf. Itin. Ant. p. 139—142. Plancus, qui ad Isaram castra habebat (cf. ad fam. 10, 18; 21 ete.) circ. 150 pm. a Lepido, circ. 650—700 pm. a Roma aberat cf. Itin. Ant. p. 162—171.

2) M. Antonius Idibus Maiis Forum Julii pervenit, (cf. ad fam. 10, 17, 1) qui locus a Foro Voconii 24 pm. (cf. ibid.), itaque a Planci castris circ. 170 pm. aberat.

nente certiorem factum responsionem diem ex die prolatasse, quoad de Antonio fugato atque de D. Bruto liberato audisset. Immo — eo ipso, quod ep. 4. Ibidus Maiis sripta est, nostra de epistula 3 in duas epistulas distribuenda sententia confirmatur. Nam, si ep. 4 ad epistulam 3. non divisam, a. d. X. Kal. Mai. Romae datam, itaque c. a. d. VI. Non. Mai. Dyrrhachium perlatam, responderet, cur M. Brutus eam Idibus Mai. demum scripsisset, omnino non intellegeretur. —

Ep. ad M. Brut. 1, 5: data est, cum animi victoria Mutinensi incitatissimi paullo sedati essent, a. d. III. Non. Mai. Quamobrem Cicero, quae senatus inter pugnam apud Forum Gallorum et Mutinensem Romae cognitam decrevit, ut Cassius et si e re publica esset, etiam M. Brutus Dolabellam bello persequeretur, hac epistula refert. (§. 1.)

Ep. ad M. Brut. 1, 6: data est, ut vulgo scribitur: „XVII. K. Junias ex castris, ad imam Candaviam", quo in die vehementer offendo. Nam cum ex paragr. prima hanc epistulam ad quintam eiusdem libri epistulam a. d. III. Non. Mai. datam rescriptam esse eluceat, si diem epistulae 6. vulgo adscriptum retineremus, quintam epistulam decimo vel undecimo die, quod temporis spatium ad iter Roma Dyrrhachium conficiendum suppeditasse videtur, ad imam Candaviam, quae regio circ. 100 pm. longius a Roma quam Dyrrhachium distabat, delatam esse statuendum esset. Praeterea ne ipsum quidem Brutum a. d. XVII. Kal. Jun. ad imam Candaviam fuisse verisimile est, quoniam Cicero in ep. ad M. Brut. 1, 2, 2: „Et tuum consilium" inquit „vehementer laudo, quod non prius exercitum Apollonia Dyrrhachioque movisti, quam de Antonii fuga audisti, Bruti eruptione, populi Romani victoria." Videtur igitur Brutus tum demum Dyrrhachio profectus esse, cum Ciceronis epistulam 3 b, a. d. III. Non. Mai. datam, circ. pridie Idus Maias accepisset, quam ad ratiocinationem optime quadrat, quod Bruti ep. 4. Idibus Maiis scripta prima totius corporis est, cui „ex castris" adscriptum est. Iter autem illud circ. 100 pm. quod est Dyrrhachio ad imam Candaviam, Brutus circ. Id. Mai. profectus quinto, ut opinor,

die cum exercitu confecit eodemque die epistulam 6. dedit. Itaque epistulae 1, 6: „XIV. K. Junias etc." adscribendum esse censeo, quam scripturam, ut postea vidi, in codice Mediceo traditam ab iis, qui nuper Ciceronis epistulas ediderunt, non in contextum receptam esse valde demiror. —

Epistulas ad M. Brut. 1, 1—6 eo tempore scriptas esse videmus, quo omnium Romanorum oculi ad pugnas illas atrocissimas, quibus D. Brutus obsidione liberatus est, coniecti erant. Sequentes epistulae in rei publicae condicione ea, quae Lepidi cum M. Antonio fugato coniunctione facta est, describenda versantur. Ad quas tamen epistulas pertractandas non prius transgrediar, quam, quomodo singulae, de quibus dixi, litterae e rebus gestis emanaverint, tabella demonstravero:

a. d. XVII. K. Mai.: Apud Forum Gallorum pugnatur.

a. d. XII. K. Mai.: Nuntius de hac pugna Romam perfertur.

a. d. XI. K. Mai.: Cicero in senatu Phil. 14. habet, M. Antonius hostis iudicatur.

a. d. X. K. Mai.: Cicero de pugna apud For. Gall. et de M. Antonio hoste iudicato ad M. Brut. scribit 1, 3.

a. d. V. K. Mai.: Proelium Mutinense committitur; Hirtius interficitur. — Romae bellum contr. Dolabellam gerundum Cassio (et Bruto) decernitur.

a. d. IV. K. Mai.: Pansa Bononiae moritur.

a. d. III. K. Mai.: D. Brutus Regium Lepidi profectus ibi ep. ad fam. 11, 9 scribit.

a. d. VI. Non. Mai.: Primi nuntii de victoria Mut. Romam perferuntur. Cic. dat ad Plancum ep. ad fam. 10, 14.

a. d. V. Non. Mai.: De consulibus interfectis Romae constat. Cicero scribit ad M. Brut. ep. 1, 3 b; Cicero scribit ad Plancum, ut eius frater, praetor urbanus, Romam veniret cf. ad fam. 10, 21 b; p. 45.

a. d. III. Non. Mai.: Cicero ad M. Brut. ep. 1, 5 de senatuscons. a. d. V. K. Mai. facto scribit.

Idibus Maiis: M. Brutus ep. 1, 3 et 3 b respondet epistula 1, 4.

a. d. XIV. K. Jun.: M. Brutus ad ep. 1, 5 rescribit epistulam 1, 6.

Ep. ad M. Brut. 1, 7 et ep. ad M. Brut. 1, 8 tamquam litterae commendaticiae neque ad dissertationem nostram quidquam valent, neque de tempore, quo datae sint, accuratius iudicium institui permittunt. —

Restat igitur, ut de epistulis 1, 9—13,[1]) quae omnes in id temporis spatium incidunt, quo Lepidus magis magisque defectionem a senatus partibus molitus cum M. Antonio sese coniunxit, pauca addam. —

Ad harum epistularum seriem constituendam Veteris Antistii iter ex Macedonia Romam susceptum optatissimum adiumentum nobis praebet. Nam Bruti epistula 1, 11 Vetus, qui Romae praeturam petere voluit, Ciceroni commendatur; ep. 1, 10 antequam Vetus Romam pervenit, scripta esse videtur, quia in ea omnino non commemoratur; cum Cicero epistulam 1, 9. daret, Vetus Romae aderat (cf. §. 3. extr.); epistula 12. autem Veteri ad M. Brutum redituro data (cf. §. 1.), ep. 13. a Bruto ante Veteris reditum atque ante epistulam 12. acceptam Kal. Quintilibus scripta est. Itaque epistularum 1, 9—13 ordo hic est: ep. 11; ep. 10; ep. 9; ep. 12; ep. 13.

Iam de tempore, quo singulae epistulae datae sint, quaeritur. — Atque, cum de epistulis 1, 9 et 1, 11 nihil certi investigari posse videatur, tempus, quo epistulae 1, 10 et 1, 12 scriptae sint, satis accurate definietur, epistulae 1, 13 autem dies adscriptus est „Kal. Quintilibus“.

Ep. ad M. Brut. 1, 10 scripta est, postquam Planci litterae ad fam. 10, 21 de labente Lepidi in rem publicam fidelitate Romam pervenerunt, neque tamen nuntius de Lepido cum M. Antonio aperte coniuncto ibi cognitus fuit.[3]) (cfr. ep. ad M. Brut. 1, 10, 2: „ . . . perterritos inermes, saucios non sunt nostri duces persecuti, datumque Lepido tempus est, in quo levitatem eius saepe perspectam maio-

---

1) Epistulae 1, 14—18 non modo posteriore tempore quam epistulae ad Cassium superstites datae, sed etiam disquisitione accuratiore egent, quam quae hoc loco absolvi possit.

2) Drumann I, 347—355; Lange III, 539, 540.

3) De Lepido aperte cum M. Antonio coniuncto Cicero in epistula 1, 12 ad M. Brutum verba facit cf. p. 50.

ribus in malis experiremur.") Epistulam ad M. Brut. 1, 10 post Planci epistulam ad fam. 10, 21 Ciceroni redditam scriptam esse praeterea eo comprobatur, quod Plancus §. 6 propter Lepidi perfidiam de se ipso atque de re publica sollicitus ad Ciceronem scribit: „Qua re hortor te, mi Cicero, exercitum huc traiciendum quam primum cures et matures prius, quam hostes magis conroborentur" etc. ad quae verba Cicero respiciens in epistula ad M. Brut. 1, 10, 1: „Nulla adhuc" inquit „a te litteras habebamus, ne famam quidem, quae declararet te cognita senatus auctoritate in Italiam adducere exercitum quod ut faceres idque maturares, magno opere desiderabat res publica."

Cum vero Planci ep. ad fam. 10, 21, a. d. X. Kal. Jun. data circ. a. d. VII.[1]) Id. Jun. Romam delata, Lepidi autem cum M. Antonio societas a. d. IV. Kal. Jun. aperte inita circ. Id. Jun.[2]) Romam nuntiata esse videatur, ep. ad M. Brut. 1, 10 inter a. d. VII. Id. et Id. Jun. scripta est. Ex qua terminatione, cum Cicero in ep. 1, 10, 1 sese Bruti litteras, quibus ille cognita senatus auctoritate[3]) utrum cum exercitu in Italiam venturus sit, necne, declaret, valde exspectare dicat, senatus auctoritatem illam non mense Junio[4]) demum, sed medio mense Maio perscriptam esse sequitur. Quod si quis miretur tam brevi spatio post victoriam Mutinensem senatum tam anximum fuisse, ut M. Brutum rei publicae auxilium fere cuperet, D. Bruti epistulam ad fam. 10, 24 a. d. III. Non. Mai. Dertonae datam perlegat, in qua satis multae tristissimarum sollicitudinum causae inveniuntur.

---

1) Antecedente die, a. d. VIII. Id. Jun., cum Cicero ad D. Brutum ep. ad fam. 11, 24 daret, Planci illae litterae nondum Romae erant.

2) Plancus (cf. ad fam. 10, 23) a. d. VIII. Id. Jun. de Lepido cum Antonio coniuncto ad Ciceronem scribit; attamen certe ante hanc epistulam nuntius ille Romam pervenit, praesertim cum D. Brutus iam a. d. III. Non. Jun. (ad fam. 11, 26) de eadem re litteras dedisset.

3) Lange III, 542.

4) Lange III, 542.

Ep. ad M. Brut. 1, 12, quam Cicero exaravit, cum de Lepido perfidiose cum M. Antonio coniuncto certos nuntios accepisset (cf. §. 1: „Maximo in discrimine res publica, Brute, versatur victoresque rursus decertare cogimur: id accidit M. Lepidi scelere et amentia . . . cum honoribus amplissimis a senatu esset Lepidus ornatus, tum etiam paucis ante diebus praeclaras litteras ad senatum misisset, reperte non solum recepit reliquias hostium, sed bellum acerrime terra marique gerit, cuius exitus qui futurus sit, incertum est") ex iis, quae supra de tempore, quo Lepidi scelus Romae compertum est, disputavimus post Id. Jun. data esse videtur. Quoniam autem in epistula ad fam. 11, 25 a. d. XIV. Kal. Quint. scripta Cicero epistulas ad M. Brut. 1, 10 et 1, 12 his verbis significat: „De Bruto autem nihil adhuc certi; quem ego, quem ad modum praecipis, privatis litteris ad bellum commune vocare non desino": epistulam 1, 12 ante a. d. XIV. Kal. Quintil. scriptam esse statuemus. Attamen paucissimis tantummodo diebus ante illum diem epistulam 1, 12, datam esse ex eo intellegitur, quod M. Brutus, cum Kal. Quint. epistulam 1, 13 exararet, duodecimam nondum acceperat (cf. ep. 1, 13, 1: „De M. Lepido vereri me cogit reliquorum timor: qui si eripuerit se nobis, quod velim temere atque iniuriose de illo suspicati sint homines etc.) —

Sed iam de iis ad M. Brut. epistulis, quae ad commentationem nostram pertinent, quaestio absoluta est. Eo igitur, unde egressi sumus, revertamur: ad epistulas a Cicerone illis temporibus cum Cassio commutatas. —

Ep. ad fam. 12, 8: *Cicero Cassio S.*

Schuetzius: „Scr. Romae mense Junio A. U. C. 710."

Gruber: „Ep. 849 et 50 (Cassio XII, 8 et 9) scriptae, quum Romae iam innotuisset Lepidi perfidia, qui IV. Kal. Jun. cum Antonio se coniunxerat (ep. 847.) ergo circa Idus Jun."

Suepfle: „Scr. Romae mense Junio A. U. C. 710."

Frey: „Der Brief ist im Juni geschrieben."

Baiter: „Scr. Romae mense Junio a. u. c. 711."

Wesenberg: „Scr. Romae mense Junio (post VIII. Id.) a. u. c. 711."

Cum ex primae paragr. verbis hisce: „Scelus adfinis tui Lepidi summamque levitatem et inconstantiam ex actis, quae ad te mitti certo scio cognosse te arbitror: itaque nos confecto bello, ut arbitrabamur, renovatum bellum gerimus etc." hanc epistulam post Antonii cum Lepidi coniunctionem Romae cognitam esse datam concludendum sit, Grubero assentiemur, qui eam circ. Id. Jun. scriptam esse contendit. Nam cum per se verisimile sit Ciceronem Cassium de rei publicae condicione Lepidi scelere periculosissima quam celerrime certiorem fieri voluisse, tum epistulam ad fam. 12, 8 propterea non multo post Id. Jun. scriptam esse putabimus, quod inter Id. Jun. et prid. Kal. Quint., quo die Lepidus a senatu hostis iudicatus est, nona quoque eiusdem libri epistula inserenda est. (cf. infra.)

Ep. ad fam. 12, 9: *Cicero Cassio S.*

Schuetzius: „Scr. Romae mense Junio A. U. C. 710."

Gruber: cf. supra p. 50.

Baiter: „Scr. Romae mense Junio a. u. c. 711."

Wesenberg: „Scr. Romae mense Junio a. u. c. 711."

Hanc epistulam serius, quam eiusdem libri epistulam 8. Cicero dedissse videtur, quoniam Lepidi perfidia non tamquam novi aliquid primis verbis, velut in epistula 8., narratur, sed in media epistula tantummodo tangitur. Exaravit autem Cicero epistulam 9., qua omnino nihil novi Cassio nuntiatur, (cf. §. 1: „non satis occurrit, quid scribam") ut ad brevem quandam Cassii epistnlam sibi redditam aliquid rescriberet (cf. §. 1: Brevitas tuarum litterarum me quoque breviorem in scribendo facit"). Utrum autem ep. ad fam. 12, 9 ad alteram duarum illarum Cassii epistularum, quae ex hoc tempore nobis supersunt, an ad deperditam quandam respondeat, non liquet. Nam Cassii ep. ad fam. 12, 11, quae sola [1]) de duabus illis traditis

1) Ad alteram epistulam ad fam. 12, 12 Ciceronis ep. ad fam. 12, 10 respondet cf. p. 52—53; 9.

huc referri potest, Nonis Martiis ex castris Taricheis data est, ita ut, si ad hanc epistulam eiusdem libri nonam rescriptam esse ponamus, eam circ. centesimo demum die ex Palaestina Romam perlatam esse statuendum sit. Qua in re inest sane difficultas qnaedam. Attamen eiusmodi tabellariorum tarditatem Ciceronis aetate neque inauditam fuisse neque ab itineris illius ex Syria in Italiam natura, qualis a. u. c. 711 fuerit, abhorruisse cum exemplis p. 10. propositis, tum Cassii ipsius verbis demonstratur, quae in epistula ad fam. 12, 12, 1 inveniuntur, hisce: „. . . simul ac legiones accepi, quas et Allienus eduxerat ex Aegypto, scripsi ad te tabellariosque complures Romam misi; . . . quod si litterae perlatae non sunt, non dubito quin Dolabella, qui nefarie Trebonio occiso Asiam occupavit, tabellarios meos deprehenderit litterasque interceperit."

Accedit, quod illud „Brevitas tuarum litterarum etc." (cf. ep. 9, 1) optime ad epistulam ad fam. 12, 11 referri posse videtur. Itaque equidem, quamquam non pro certo habeo, tamen non sine specie quadam versimilitudinis epistulam ad fam. 9. ad epistulam 11. respondere contendam.[1]) Exarata autem est ep. 9. post medium mensem Junium et ante pr. Kal. Quint., quia de Lepido hoste iudicato nihil in ea commemoratur.

Ep. ad. fam. 12, 10: ***Cicero Cassio S.***

Schuetzius: „Scr. Romae initio Quintilis A. U. C. 710."

Gruber: „Kal. Qu."

---

1) Nostrae sententiae adversatur L. Lange, vir doctissimus, (III, 536) qui epistulam ad fam. 12, 11 iam Romae fuisse statuit, cum a. d. V. Kal. Mai. Cassio bellum contra Dolabellam gerendum decretum est. Quae opinio quamquam per se stare potest, quoniam re vera ep. 12. 11 quinquagesimo altero die ex Palaestina Romam perferri potuit, tamen propterea mihi non probatur, quod Cicero in ep. ad M. Brut. 1, 5, ubi de senatus consulto a. d. V. Kal. Mai. facto verba facit: „De Cassii nostri copiis" inquit „nihil sciebamus; neque enim ab ipso ullae litterae neque nuntiabatur quidquam, quod pro certo haberemus."

S u e p f l e: „Scr. Romae initio Quintilis a. u. c. 710."
F r e y: „Der Brief ist Anfang Juli geschrieben."
B a i t e r: „Scr. Romae ineunte mense Quintili a. u. c. 711."
W e s e n b e r g: „Scr. Romae ineunte mense Quintili a. u. c. 711."

Viri docti plane inter se consentiunt, cum hanc epistulam ineunte mense Quintili datam esse putent. Quam terminationem rectam esse primae paragr. verba haec: „Lepidus, tuus adfinis, meus familiaris, pr. K. Quintiles sententiis omnibus hostis a senatu iudicatus est etc." tam aperte demonstratur, ut nihil addendum esse videatur.

Ep. ad fam. 12, 11:
Ep. ad fam. 12, 12: } *C. Cassius procos. s. d. M. Ciceroni.*

De his epistulis, quibus dies adscripti sunt: „d. Nonis Martiis ex castris Taricheis" et „Nonis Maiis ex castris" quaestio nullo instituetur, praesertim cum etiam de tempore, quo Romam perlatae sunt, satis sit dictum. De ep. ad fam. 12, 11 cf. p. 51—52. De ep. ad fam. 12, 12 cf. p. 9.

Tabula I.

1.	D. Brutus Bruto suo et Cassio sal. . .	ad fam. 11, 1. d. circ. Nonas Apriles a. u. c. 710. . .	cf. p. 13—16.
2.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 1. d. inter Kal. et a. d. IV. Non. Mai. a. u. c. 710.	p. 19—21.
3.	Brutus et Cassius praetores M. Antonio Cos.	ad fam. 11, 2. d. intra X extremos dies mensis Mai. a. u. c. 710.	p. 16—18.
4.	Brutus et Cassius pr. s. d. Antonio cos.	ad fam. 11, 3 d. pridie Non. Sextil. a. u. c. 710. . . .	p. 18—19.
5.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 2. d. inter extremos mensis Sept. dies et a. d. VI. Non. Oct. a. u. c. 710.	p. 21—23.
6.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 3. d. inter a. d. VI. Non. et a. d. VII. Id. Oct. a. u. c. 710.	p. 23.
7.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 4. d. aut. a. d. IV. Non. Febr. a. u. c. 711. aut paullo post.	p. 23—26.
8.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 5. d. circ. Id. Febr. a. u. c. 711.	p. 26—28.
9.	C. Cassius procos. s. d. M. Ciceroni . .	ad fam. 12, 11. d. Non. Mart. a. u. c. 711.	p. 51—53.
10.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 7. d. paullo post Non. Mart. a. u. c. 711. .	p. 34—37.
11.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 6. d. inter a. d. XIII. Kal. et a. d. VII. Id. Apr. a. u. c. 711.	p. 28—34.
12.	C. Cassius procos. s. d. M. Ciceroni suo.	ad fam. 12, 12. Non. Mai. a. u. c. 711.	p. 53; 9.
13.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 8. circ. Id. Jun. a. u. c. 711.	p. 50—51.
14.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 9. d. post medium mensem Junium et ante pr. Kal. Quint. a. u. c. 711.	p. 51—52.
15.	Cicero Cassio sal.	ad fam. 12, 10. d. ineunte mense Quintili a. u. c. 711. .	p. 52—53.

Tabula II.

1.	Brutus Ciceroni sal.	ad M. Brut. 2, 5 et 3. d. Kal. April. a. u. c. 711.	p. 32—33.
2.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 2, 1. d. (inter a. d. XIII. Kal. April. et) a. d. VII. Id. April. a. u. c. 711.	p. 29—32.
3.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 2, 2. d. a. d. III. Id. April. mane, a. u. c. 711.	p. 32.
4.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 2, 4. d. pridie Id. April. mane, a. u. c. 711.	p. 33.
5.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 2, 6. d. aut pridie Id. April. vesperi aut Id. April. mane a. u. c. 711.	p. 33.
6.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 2, 7. d. a. d. XVI. Kal. Mai. a. u. c. 711.	p. 33; 38—39.
7.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 1, 1. d. a. d. XV. Kal. Mai a. u. c. 711. (?)	p. 37—40.
8.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 1, 3. d. a. d. X. Kal. Mai. a. u. c. 711.	p. 41—43.
9.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 1, 3b. d. a. d. V. Non. Mai. a. u. c. 711.	p. 44—45.
10.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 1, 5. d. a. d. III. Non. Mai. a. u. c. 711.	p. 46.
11.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 1, 2. d. paullo ante Id. Mai. a. u. c. 711.	p. 40—41.
12.	Brutus Ciceroni sal.	ad M. Brut. 1, 4. d. Id. Mai. a. u. c. 711.	p. 45—46.
13.	Brutus Ciceroni sal.	ad M. Brut. 1, 6. d. a. d. XIV. Kal. Jun. a. u. c. 711.	p. 46—47.
14.	Brutus Ciceroni sal.	ad M. Brut. 1. 7. (?)	p. 48.
15.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 1, 8. (?)	p. 48.
16.	Brutus Ciceroni sal.	ad M. Brut. 1, 11. d. exeunte mense Mai. a. u. c. 711. (?)	p. 48.
17.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 1, 10. d. paullo post a. d. VIII. Id. Jun. a. u. c. 711.	p. 48—49
18.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 1, 9. (?)	p. 48.
19.	Cicero Bruto sal.	ad M. Brut. 1, 12. d. paullo ante a. d. XIV. Kal. Quint. a. u. c. 711.	p. 50.
20.	Brutus Ciceroni sal.	ad M. Brut. 1, 13. d. Kal. Quint. a. u. c. 711.	p. 48.

Tabula III.[1])

M. Brutus et C. Cassius urbem forumque deseruerunt.	ineunte mense April. a.u.c. 711.	p. 15—16.
Cicero Romam reliquit, D. Brutus in Galliam cisalpinam profectus est. .	paullo post Non. Apr. a.u.c. 710.	p. 14—16.
M. Antonius itinere quod in inferioris Italiae coloniis suscepit confecto Romam revertit.	paullo ante a. d. X. Kal. Jun. a. u. c. 710.	p. 17—18.
Legati ad M. Antonium Mutinam obsidentem missi Romam redierunt . .	ineunte mense Febr. a. u. c. 710.	p. 24—25.
Iidem legationem in senatu rettulerunt, saga tertio die sumenda esse decretum est	a. d. IV. Non. Febr. a. u. c. 711.	p. 24—26.
Cicero orat. Phil. 8. habuit	a. d. III. Non. Febr. a. u. c. 711.	p. 25—26.
Saga sumpta sunt	pridie Non. Febr. a. u. c. 711.	p. 25—26.
Cicero orat. Phil. 10. in senatu habuit	circ. Id. Febr. a. u. c. 711. .	p. 27—28.
Litteris de Trebonio occiso Romam perlatis Dolabella hostis iudicatus est; Cicero orat. Phil. 11. in senatu habuit	circ. Non. Mart. a. u. c. 711.	p. 34—37.
M. Brutus C. Antonium cepit.	paullo post Non. Mart. a.u.c. 711.	p. 30—31.
Pansa consul Roma profectus est; deinde nuntius de C. Antonio capto Romam pervenit.	aut a. d. XIV. Kal. Apr. aut a. d. XIII. Kal. Apr. prima luce a. u. c. 711.	p. 29—31.
Cicero post Pansae discessum in senatu orat. Phil. 13. habuit	a. d. XIII. Kal. Apr. a. u. c 711.	p. 29—31.
Pugna apud Forum Gallorum a. d. XVII. Kal. Jun. commissa Romam nuntiata est	a. d. XII. Kal. Mai. a. u. c. 711.	p. 42—43; 5.
M. Antonius hostis iudicatus est	a. d. XI. Kal. Mai. a. u. c. 711.	p. 42—45.
C. Cassio (et M. Bruto) bellum contra Dolabellam gerendum decretum est	a. d. V. Kal. Mai. a. u. c. 711.	p. 46; 38.
De pugna Mutinensi a. d. V. Kal. Mai. commissa nuntius Romam delatus est	a. d. VI. Non. Mai. a. u. c. 711.	p. 43—44.
De consulibus interfectis Romae constitit	a. d. V. Non. Mai. a. u. c. 711.	p. 43.
M. Brutus litteris de victoria Mutinensi acceptis in Macedoniam profectus est	Id. Mai. a. u. c. 711. . . .	p. 46—47.
Senatus auctoritas perscripta est, ut M. Brutus cum exercitu in Italiam veniret	medio mense Mai. a. u. c. 711.	p. 49.

1) Hac tabula, quidquid de rerum inde ab Caesare occiso usque ad mensem Quintil. a. u. c. 711. gestarum ordine atque tempore inveni atque in commentatione mea comprobare studui, componendum esse putavi. —

Epilogus.

In huius commentationis praefatione declaravi me Ciceronis ad M. Brut. epistulas, quas ad res quasdam obscuriores illustrandas adhiberi oporteat, causis non adlatis tamquam genuinas esse pertractaturum. Attamen eo ipso, quod has epistulas cum Cassii atque, ubi par erat, cum aliorum aequalium epistulis, de quarum integritate nemo dubitavit, quam accuratissime conferre itaque, ut picturae imagine utar, in marginem illum splendissimum, quo omnes Ciceronis epistulae post Caesarem occisum datae quasi includuntur, aptare conatus sum, nonnihil, ut opinor, in quaestione illa, utrum epistulae ad M. Brut. genuinae sint, necne, diiudicanda profectum est. Gravissimas enim offensiones, quas Angli critici in his epistulis sibi invenisse visi sunt, a. C. Fr. Hermanno in medio relictas,[1]) dummodo eandem corrigendi rationem, qua viri docti in ceteris epistulis emendandis utuntur, ad epistulas Brutinas quoque adhibueris, evanescere apparuit.[2]) Quid quod interdum ea ipsa, e quibus adversarii nostri quasi e Pseudo-Ciceronis vel Pseudo-Bruti cuiusdam erratis suspicionis ansam deprompserunt,[3]) secundum rerum gestarum tempus atque ordinem eum, quem nos constituimus, rectissima esse demonstratum est.[4]) — Attamen a proposito nostro alienum est, quidquid de Brutinarum epistularum ingenuitate ex hac commentatione colligi poterit, hoc loco pluribus verbis explicare, id quod alia occasione oblata demonstrare non neglegemus. —

1) cf. Abhandl. der Gött. Ges. d. W. 1845—1847 B. III, p. 186—188.
2) p. 41—45.
3) cf. Abhandl. der Gött. Ges. d. W. 1845—1847 B. III, p. 218.
4) p. 15—16.

Vita.

Natus sum Otto Eduardus Schmidt in oppido Saxoniae, cui nomen est Reichenbach, a. d. XII. Kal. Sept. anni h. s. LV. patre Eduardo, matre Amalia, e gente Breitung. Fidem profiteor evangelicam. Anno h. s. LXX. in gymnasium, quod Dresdae est ad aedem Sanctae Crucis, ab Hultschio rectore receptus sum. Deinde maturitatis testimonio accepto anno LXXIV Lipsiam me contuli, ubi scholis interfui Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Heinzii, Hildebrandii, Langii, Lipsii, Ritschelii, Schusteri, Voigtii, Zarnckii. Per duo spatia semestria sem. philol. reg. sodalis ordinarius fui. Exercitationes autem societatis Langianae et seminarii paedagogici Ecksteiniani adhuc frequento. — His viris omnibus, imprimis Langio, quem summa liberalitate studia mea adiuvisse semper ero memor, gratias ago maximas. —